SLEBEN
2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0001

J. Biörnstierna

Cc 372

Petr-Adolphus

Fvarus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0002

Vom Superintendenten
Pastor Martius aus
Schwaneberg
der
von Alvensleben'schen
Lehns-Bibliothek
geschenkt.
November 1878.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0003

Ivar Pedersen Adolphus

MEDULLA ORATORIA,

Continens omnium

TRANSITIONUM FORMULAS,

quibus ornari possit

ORATIO RHETORICA,

IN GRATIAM STUDIOSORUM ELOQVENTIÆ, EX VARIIS ORATORIBUS COLLECTA

AB

IVARO PETR - ADOLPHO,

NORVEGO,

Editio novissima, accessione aliarum formularum & figurarum, ex aliis Auctoribus selectarum, aucta,

Cum Indice Formularum.

DRESDÆ,

Sumptibus JOH. JACOBI WINCKLERI,

Anno 1702.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0005

LEHNS - BÜCHEREI
IN ERXLEBEN

VIRO-JUVENI

Antiqvissimi Generis splendore

Nec non

Verâ Nobilitate præcellenti

DN. LUDOLPHO ab Alvensleben/

Sax. inf. Eqv.

Hereditario in Neu-Gatersleben/ Scherm und Randau/ &c.

Literatæ Humanitatis Amatori cupidissimo,

In Legum altrice isthâc Matre.

Athenæô qvippe Salanô

Ad

Studiorum ornamenta,

Familiæ incrementa,

Patriæ fulcimenta

Successibus invidendis

Cursuq; indeprecabibi

adspiranti,

Dn. Fautori, &t. t. inqvilino meo
unicè charo,
ætatemqve omnem æstumatissimo,
Hoc, qvicqvid est, literarii muneris,
ob insigne sui emolumentum,
qvòd præter miram svadæ flexanimis
felicitatem,
futuris Oratoriæ Palæstræ Candidatis
præstat,
adprimè commendabile,
benevolentiæ semper laudabilis uti
cœptæ, sic imposterum continuandæ radiis,
Prælibatô affectus observantissimi
omnisq; prosperitatis osculô,
votôqve
qvô Gener. Ejus Nobil.
proseqvor;
illustrandum,
ex animo destino sacrum,
& consecro
PETRUS BRÖSSELIUS
Bibl. Jen.

In

IN MEDULLAM ORATORIAM

Eruditissimi Juvenis-Viri,

D. IVARI PETR-ADOLPHI

In usum Juventutis conscriptam.

EHeu! fugaces qvid qverimur dies?
Qvid tempus ævi tam cito labile?
Ipsi profecto fila vitæ ab-
Rumpimus, & male, niq; agendo.
Dormitur, estur, luditur adfatim:
Nunc ambulatur, nunc bibitur satis.
Qvin, ceu tributum, somnus ipse,
Dimidium sibi poscit ævi.
Sic ævum inerti surpimus ambitu;
Qvid relliqvum nunc? aut nihil, aut parum.
Tandemq; cœcis miscet umbris
Mors inopina nihil timenteis.
Idcirco qvisqvis tempora labilis
Vitæ cupiscit curta revolvere,
Is insolenti docta volvat
Scripta Virûm assiduus labore.

Hos inter altum tu meritus Decus,
IVARE, noſtri portio pectoris,
Qvem propter ingenteis labores
Laurea cingit Apollinaris.
IVARE, quo te carmine proſequar?
Eſt hoc Camœnis impar onus meis.
Carmen jubet finire voto:
Proſit honos Tibi, proſit Orbi!

I. Botteſius de Grandivilla,
Med. Doct.

Ad Præſtantiſſimum

AUCTOREM,

D. IVARUM PETR-ADOLPHUM;

Et

Studioſam Juventutem.

ACcipe Romanæ pubes ſtudioſa loqvelæ,
Qvæq; ſitis Latii verba diſerta fori,
Et Tulli ſectaris opes, qvem Roma tonantem
Vidit, & hoc Superos credidit ore loqvi;
Qvas tibi victuras, cœleſtia munera, chartas
Mittit, & eximium nobilis auctor opus,

Nec

Nec fastis indigna legi, dum flectere mentes,
Et docet arguto reddere verba sono,
Format & agrestes animos, & mollia fandi
Tempora solerti monstrat ubique manu:
Format & artifices, & pollice signat acuto
Quod tibi principium, quis tibi finis erit;
Seu cupis, immensa juvenum spectante corona, (*qui:*
Ad faciles nnmeros grandia verba lo-
Seu coram augusto loqveris plaudente Senatu,
Intrepido & mœstos asseris ore reos.
Hæc tibi nunc Cynosura micat, qvo tu au-
spice posthac
Eloqvio priscis æqviperanda venis.
Qvidqvid enim rarum Veteres docuere Magistri,
Omnis & Ausonii turba diserta chori:
Seu fuit Arpinas, Romani prima Senatus
Gloria, seu Fabius, Qvintiliusve fuit:
Qvotqvot & antiqvis Grajorum oracula scriptis
Volvis, & ingenii flumina mente stupes;
Hoc scripto contenta vides: hunc volve libellum: *Qvot-*

Quotquot in innumeris perlegis, unus habet.
Hoc opus est, IVARE, tuum, quem fama per auras (bit,
Evehet, & nomen mox tibi grande da-
Cui meritis condigna tuis, condigna labore
Dona parant faciles non morituraDeæ;
Quæque tuis pridem debentur præmia curis,
Id pretium tantæ sedulitatis habes.

Ezechiel Spanhemius.
Frid. F.

Ad Ornatissimum & literatissimum
AUCTOREM,

D. IVARUM PETR-ADOLPHUM.

ITe precor Musæ, Pindicque arcana valete,
Ingenium perdunt carmina, quisquis amat,
Sunt viles hederæ: mundo dum pandit IVARUS,

Qui

Qvi poterit Latio rectius ore loqvi.
Nunc apud invictos intra palatia Reges
Ardua legati munera civis obit:
Nec tamen amissas qveritur facundia leges:
Pagina dicendi suggerit una modum.
Nunc ubi stat cinctum stricto mucrone tribunal,
Qvo reus & speret, nec bene speret, habet,
Forsitan antiqvi si nosset temporis ætas,
Quod tantum seræ posteritatis erat.
Non Romam miseri fœdassent sangvine Gracchi,
Celsaqve Romuleas atria cæde fores,
Non Pubes Latii damnata ruisset in arma,
Dum nimium celeri funere Drusus obit.

Arnoldus Montanus.

Ad Momum noſtrum.

- - Si qvid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti; ſi non, his
utere mecum.



IVARI

IVARI PETR. ADOLPHI
NORVEGI,

MEDULLA
ORATORIA.

Formulæ exordiendi.

I.

NOn ignoro, Auditores, in loco ad agendum amplissimo, ad dicendum ornatissimo, verba facturum, nil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, gravitate & novitate insigne afferre debere; prudenter enim & rectè à morum vitæq; Magistris traditum est, in omni officio & munere considerandum, diligenterq; animadvertendum esse, qvid aptum sit, qvid personis temporiq; consentaneum. Cum itaqve in hac concione Reipub. nostræ præstantissima lumina, qvo-

rum neqve opes, neqve honores, neqve generis & nobilitatis stemmata in occulto esse possunt, aspicio & considero; satis intelligo, id, qvod tanta huius loci & consessus autoritas etiam tacita loqvitur, nullum argumentum, nisi gravitate præstans, & novitate jucundum, tam eruditis & politis auribus esse objiciendum. Ne qvis ergò vestrûm miretur, me in leviore aliqvo argumento versari ita voluisse, ut relictis gravioribus historicorum, Philosophorum, Jurisperitorum disputationibus, puerilis alicujus argumenti materiam selegerim, & in hoc theatrum vulgarem aliqvam & tritam de Logicæ laudibus declamatiunculam adduxerim; is si negotii totius rationem secum consideraverit, una, & qvod facio, probabit, & in hoc argumento consilium nostrum minime reprehendendum putabit.

II. Magnam curam, Auditores optimi, & multum utilemqve laborem in eo majores nostri posuerunt, ut disqvirerent

rerent diligentius, qvænam ratio esset commodissima instituendi pueritiam, & qvis modus optimus tradendi omnes ingenuas artes & liberis hominibus dignas. Itaqve cum multi de hac re multorum doctorum Virorum & commentarii & libri exstent, & plena sint antiqva monumenta talium præceptionum & disqvisitionum; nemo tamen vel propius accessisse ad eam instituendi ideam, vel utilius de ea præcepisse videtur, qvam Qvintilianus. Is enim, ut cætera omnia sapienter & recte monuit, ut etiam in artium tradendarum ratione tanqvam oraculum qvoddam protulit, ut in docendo videamus, qvantum animi discipulorum capere & ferre possint. *Sicut enim vasa angusti orificii*, ait, *superfusam liqvoris copiam respuunt & effundunt, sensim autem paulatimq; influentem & instillatum humorem recipiunt, receptumq; fidelius continent; ita animi puerorũ angusti & majorum adhuc incapaces nimia doctrinarum præceptionumq; copia fatigantur &*

obruuntur, paucis autem & brevibus præceptis sensim paulatimq; implentur. Magnifica verò sententia, & omnibus juventutis moderatoribus altis animi sensibus reponenda! qvæ sola declarat, qvid in artium liberalium traditione præcipuè spectandum, qvæ via & ratio tenenda sit.

III. Qvanta sit Poëtarum gravitas & sublimitas, qvanta jucunditas, qvanta ad permovendum animos hominum vis, qvantaq; ad erudiendas mortalium mentes utilitas, neminem ex vobis esse arbitror (Auditores humanissimi) qvi vel per se non videat, vel à Præceptoribns qvotidie Poëtarum scripta enarrantibus non cognoverit. Licet enim Poëtæ pleraque fabularum figmentis, & illis qvidem non ineptis aut convenientibus in volvere & occultare soleant; tamen si rejectis hisce involucris & tegumentis, qvæ illi rei, ipsius veritati, qvasi obtendere solent, singularem partium vim, & significationem diligenter examinaverimus &

per-

perſcrutati fuerimus; multa profecto ibi & ad vitam recte inſtituendam, & ad politias ſapienter gubernandas, & ad naturæ arcana cognoſcenda apprime utilia latere deprehendemus. Id vero ipſum cum in aliis præclaris & eximiis rebus, tum vero præcipue in illo inſigni, de Minerva (id eſt, prudentia & eruditione) commento, videre & admirari licet; cum enim prudentiæ præſtantiam nobis proponere, ad eamq; nos exhortari vellent, finxerunt eam qvaſi deam qvandam, quæ eſſet ex Jovis cerebro procreata: quo ſignificare voluerunt, Prudentiam præcipuum donum DEI eſſe, cujus non niſi auxilio & gratia Dei adjuti, participes reddimur. Deinde eam præſidem liberalium artium & diſciplinarum conſtituerunt; id quod, eam harum artium inventricem primam fuiſſe, teſtatur: quo quid aliud intelligi volunt, quam prudentiſſimorum hominum induſtria & labore, artium uſum traditum & monſtratum humano generi

ri esse? Præterea arma etiam ipsi attribuerunt, ut galeam, hastam, clypeum & loricam sive ægidem, qvæ Ovidius hoc districho complexus est:

At sibi dat clypeum dat acutæ cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.

IV.

Sæpenumero mirari soleo, Auditores (*a*) hominum qvorundam imprudentiamne an impudentiam dicam? qvi liberalium artium cognitionem adeo contemnunt, ut, qvamvis aliam rem, qvæ vel fortunæ vel corporis putatur, multis modis huic præferant, cum, si recta ratione rem ipsam æstimare velimus, nihil hominis tam proprium inveniamus, qvam hæc animi bona, hasq; mentis opes ac solidas divitias. Itaqve non possum non vehementer laudare vocem illam vel Biantis (ut Cicero & Valerius volunt) vel Stilponis, ut alii arbitrantur; cujus pa-

(*a*) *Hoc etiam inservire potest Chriis, sicut & præcedens.*

patriam cum cepiſſet hoſtis cæteriqve ejus cives ita fugerent, ut multa de ſuis rebus ſecum aſportarent; eſſetqve ipſe admonitus à qvodam, ut idem ipſe faceret, resq; ſuas, qvas poſſet, ſecum auferret; Ego vero, inqvit, facio: Nam *omnia mea mecum porto.* Et rectè qvidem ille vel Bias, vel Stilpo, &c.

V.

Nunqvam oculis tantum caliginis offuſum eſt, qvam cum modo eos defixi in hanc Ciceronis ſententiam: *Concedat laurea lingvæ.* Video mihi laudandam eſſe eloqventiam, qvæ cujus ſit coloris, nondum ſuſcipiari tirunculus poſſum: atqve inſuper de arte imperatoria dicendum, ut majus, qvam delirus ille ſenex Phormio puer in veſtis ludibrium audientibus debeam. Sed age ſis, fræna lingvæ laxemus: Vituperationem enim temeritatis obtemperandi neceſſitas deprecabitur.

VI.

Cum à dicendo, Auditores, pueritiam meam reuocare ſolet rerum inſcitia,

tia, & pudor ingenuus, qui maximè ornat hanc ætatem, tum in hac publica actione ita me multa perturbant, ut quantum leges, tuaque autoritas, N.N. ſpei mihi afferunt ad explicationem hujus ſententiæ ſuſcipiendam, tantum timoris rei difficultas incutiat. Primum dico de ſententia, explicationeque ejus; qvæ ipſa etſi ſatis laudata, majus tamen mihi dicendi onus impoſitum ſentio, quàm ut humeris meis cohærere poſſit. Deinde eam ſententiam, quæ de animali loquitur, quod non dicam à me, ſed vix unquam in Germania viſum eſt, cogor illuſtrare. Accedit, ut rationis, quæ huic reclamat, firmitate, & clasſicorum autorum, in hujus deſcriptione, diſſenſione, perturbet. Perturbat me, Auditores, etiam illud, quod tamen, cum vos penitus recognovi, timere deſino. Nam puerum dicere apud Viros doctiſſimos, quorum auditor eſſe debebat, ſi per ſe ipſum conſideretis, nefarium eſt: pueros enim in conſeſſu ſenio-

rum

orum & doctiorum tacere decet. Sed vestra, Auditores, præstans singularisque benevolentia hunc mihi metum minuit: non enim tam timeo, quid me deceat, quam intelligo, quid de me, cæterisq; meis commilitonibus, exspectetis. Moveor etiam loci ipsius magnificentia, quod ego classicus auditor, & in hoc genere nunqvam exercitatus, hanc sententiam, qvam à nullo unquam inveni tractatam, illustrare cogor. Dico enim in tanto conventu & frequentia literatorum Virorum, in quo nihil nisi certum & eruditum proferri debet. Hæc mea cura, hæc difficultas circumstat. Qvare quoniam actio maxime debilitatur loco, & rei perplexitate, vestrum est, Auditores, quid ego puer in hac actionis difficultate præstare possim, ad limatum prudentiæ vestræ judicium vocare, quo facilius tum æquitas vestra, tum consveta audiendi benevolentia minuat hanc perturbationem meam.

VII. In ea scholæ nostræ classe, in qua

qva ego ſtudiorum cauſa verſor, ſcio multos eſſe adoleſcentes qvi me, ut ætate, ita ingenio, doctrina, memoria, & dicendi exercitatione longe ſuperant, proindeqve id, qvod mihi nunc à N. imponitur, majori laude & felicitate præſtare potuiſſent; ſed tamen moveor, & mandato præceptoris mei, cui reverenter adoleſcentes decet obedire, & inſigni humanitate auditorum omnium ordinum, ut tanto facilius ſim paſſus mihi has dicendi partes imponi. Qvare veniam me facile conſecuturum ſpero, & ne longiori exordio vobis ſim moleſtus, è veſtigio conferam me ad explicationem, &c.

VIII.

Thales Mileſius, ille primus inter ſeptem Græciæ Sapientes, ſæpe dixiſſe fertur, *pauca verba animi ſapientis eſſe indicium.* Ut enim nihil ineptius eſt & moleſtius auditori, qvam ſi incipiat verborum flumen & mentis gutta, qvod de Anaximene Theocritus olim ferebat: nec id qvidem eſt eloqventiæ, ſed hu-

humidæ cujusdam & lapsantis, uti Gellius loqvitur, garrulitatis, qvam *loqventiam* ille verborum novator, Sallustius, haud incommode vocat: Ita paucis multa dicere, qvod sine accurata rerum intelligentia, diutina qvadam & fixa cogitatione, justaqve mora temporis, & singulari modestia, & mansvetudine fieri haud potest, non nisi doctos & moderatos in Viros, qvorum sermo inter labra minime nascitur, sed lingva cordis, & bonæ mentis funiculo trahitur, cadere certum est. Et hoc qvidem cum Spartani, à qvibus arguta brevitas nomen *Laconismi* accepit, non nescirent, Ctesiphontem qvendam ex sua civitate pepulerunt, qvod se profiteretur totum diem qvalibet de re verba facere posse. Qvin nemo cordatorum virorum unqvam fuit, qvi locutulejos & blaterones, qvos veteres in proverbiis *Architæ crepitaculum, æs Dodonæum, ranas, cicadas* & *graculos* appellare solebant, non contempserit, non odio habuerit, non procul abi-

gendo & rubra cædendos solea putarit: Interim verò cavendum, ne ab uno extremorum delabamur ad alterum, & more stultorum in contraria vitia, quæ Horatii verba sunt, curramus, & fugientes loquacitatis, nimia peccemus breviloquentia, in qua plerumque multum & invidiæ & obscuritatis. Hoc artificio, si tamen id meretur nominis, olim Apollo Delphicus miseros ludebat homines, & responsa dabat brevia, ambigua, incerta, quæ si accepissent, multo magis, quam ante, pendebant animis, & in bivio qvasi stantes, quo se vertere possent, non habebant. Crœso redditum fuit oraculum, Lydiæ regnum finem tuum demum habiturum, si apud Medos imperare *mulus* cœpisset: *mulum* vocabat *Cyrum*, qui patre Cambyse Persa, mediocris saltem conditionis viro, sed matre, regis Astyagis filia, cui nomen *Mandanes*, in lucem esset editus. Verum hanc Pythiæ mentem esse, quis tum ariolari & divinare posset? Unde quidem

quidem & Crœsus regnum suum fore sempiternum augurabatur. Ab his apinis & tricis non multum aberat illud Indathyrsi regis Scytharum, qui ad Darium literarum loco mittebat *mutem, ranam, avem, sagittam & aratrum*; quæ symbola quid sibi vellent, nemo quidem, nisi tandem unus & alter, nec tamen sine multo labore & interpretatione dubia, assequi potuerunt. Quod itaque medium iter reperire licebit, hos inter scopulos, & has inter quasi syrtes & voragines, cui dare nos possimus? Illud vero, cum non tam navigantium turribus, ac pharis, & lucernis nocturnis, quam eloquentissimorum Virorum monumentis signatum habeamus, inventu difficile non esse poterit. Tum igitur recte, prudenter & apposite dicemus, si sermo rebus par sit & æqualis, hoc est, si paucula qvæ sunt, breviter, minuta tenuiter, mediocria temperatè, multa prolixè, magna copiosè, sublimia splendidè & magnificè dicantur; qui

character posterior tum habet locum, si non docendi tantum sint auditores, sed etiam deliniendi voluptate honesta, & motibus animorum gravioribus percellendi. Et hoc quidem illud est ipsum, quod Democritus solebat dicere, *Sermonem esse umbram ipsarum rerum*, quam tamen neque majorem, neque minorem, ut intelligamus, oportet &c.

IX.

Quanquam officium ac munus quod mihi nunc assignatum est, satis commode, satisque graviter, atque ex animi mei sententia ac voluntate sustinere me posse, diffidam, quippe commoditati ingenium, gravitati ætas, voluntati imperitia, reique propositæ difficultas, itemque metus, quem partim natura, partim amplissimus hic consessus mihi affert, & auget, impedimento sunt; animo tamen non deficiam, aut debilitabor, nec quod certa ratione & consilio mihi impositum est, id inconsulta temeritate recusabo, ac de-

pre-

precabor: nemo enim, ut opinor, tam iniquus susceptí muneris mei æstimator erit, qui, si quantum possim, præstitero, quod quædam non possim, idcirco me reprehendendum existimet. Qvin sic mihi persvadeo, &c.

X.

Qui è portu solvunt, quamdiu litoris oram legunt, præsenti sunt animo, minusq; commoventur: Sed postquam velis expansis, remisq; certantibus, in altum provecti sunt, terram non amplius vident, & quocunque oculorum aciem vertunt, cœlum pontumq; undique intuentur; toto tunc animo & corpore præ se ferunt, se perturbari & cohorrescere. Idem profecto mihi accidere sentio, dum in tanto amplissimorum Virorum conspectu, mihi puero, qui ferè adhuc in palæstra tantùm literaria, & cum mei similibus sum eductus, nunc verba facienda video, qui forte Periclí aut Demostheni, in eloquentia exercitatissimis artificibus, metum incuterent. Verùm illud me

consolatur, antmumque perturbatum erigit, quod non non sponte mea, à superioribus meis jussus, id officium in me receperim, ea spe fretus, me apud vos facile veniam impetraturum. Faxit Deus, ut navis mea, secundis ventis agitata, cursum suum teneat, neve à proposito aberret, inque vada aut scopulorum anfractus illidat.

XI.

Etsi hinc pudor meus hinc infantia, ac balbuties linguam mihi ligant, ac silentium indicunt: antiquior tamen tua apud me est auctoritas, neque pudorem, velut attonitum hærere, neque linguam quasi vinctam intra fauces obstupescere permittit.

XII.

Quod illis contingere plerumque videmus, qui è tenebris & longo situ ad solem subito educuntur, ut nimirum acies caliget, & fulgore oculi perstringantur, ut res oblatas visu percipere nequeunt: Idem mihi prorsus nunc evenire sentio, dum vos, magna hujus

reipubl.

reipubl. sidera, ego fere puer intueor: hebescit nonnihil, quod ingenue mihi fatendum est, ingenii acies, linguæ promptitudo retardatur, & verba suspensum destituunt. Quid tamen? an ab eo, cujus gratia Orator missus sum, resiliendum, & turpi fuga abeundum? Nequaquam: quin potius, ut idem sol excitat & innata sua vi rebus dat vigorem; sic mihi sentio ab Amplitudinum vestrarum aspectu alacritatem quandam infundi, & ab iisdem, quibus jam pridem detentus fueram, excitari. Itaque hic jubens figam pedem, & parebo N. qui me in Amplitudinum vestrarum conspectu publice, & pauca quædam, dicere voluit.

XIII.

Quod si par meæ voluntati suppeteret facultas, Auditores, alacri certe animo partes dicendi, à Rectore mihi attributas susciperem, neque hujus loci auctoritatem, vestramque præsentiam & gravissimum conspectum, mihi magnopere metuendum existima-

rem. At non est, plane non est ingenii mei, tantum tamque difficile onus & munus sustinere. Itaq; ut vestræ de me opinioni atque expectationi respondere, & dignum aliquid vestris politissimis auribus, in medium afferre possim, id vero non mediocriter pertimesco. Verumtamen haud leviter me reficit & recreat, tum eximia vestra erga studiosos adolescentes humanitas, hoc in loco sæpe cognita atque perspecta: tum etiam obedientiæ ratio, cujus tanta vis est, ut neque subterfugere laborem, aut recusare onus, nec quemquam in crimen & invidiam vocari patiatur.

XIV.

Quod si maximus ille, apud Græcos, Orator Demosthenes apud Philippum, Macedonum regem, orationem habiturus, sic expavit, & animo commotus est, ut, paucis admodum verbis expressis, pene mutus discesserit; quid mihi in hoc tali talium & tantorum consessu Virorum constantis mentis esse

esse potest? Sed reficit tamen & recreat me tuæ, ô ornatissima corona, consvetudinis pristinæ atque humanitatis recordatio, quæ mihi non ignota, facit, ut sperem, te, si quid minus ornatè, minus aptè, loco que ac tempori convenienter dixerim, facile ætati veniam concessuram.

XV.

Quod ille declamaturus apud Cæsarem dixit: *Cæsar, qui apud te audent dicere magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem*: Idem propemodum mihi, in hoc augusto splendidissimorum & lectissimorum hominum cœtu verba facturo, dicendi initium occurrit. Quantum enim à dicendo deterreor splendore ac dignitate audientium, tantum vicissim ad dicendum eorum invitor, atq; allicior humanitate Accedit huc tua N. auctoritas, quæ facile, quicquid hic est caliginis offusum oculis, lua luce dispellit, facile linguam timore quasi vinctam stupentemq; laxat, facile denique, ut orationi pandam vela, persvadet.

XVI

XVI.

Percelli nonnihil, ac perturbari animum meum, verbaq; & ingenium me deficere sentio Auditores, dum Orator huc missus sum, & verba mihi apud A.V. facienda sunt: nam si Theophrastus Etesius in Areopago verba faciens obmutuit? si Hærodes Atticus, insignis ille Orator, coram M. Antonio verba faciens, orationis cursum sistere coactus fuit; quid mirum, si in tanta præstantissimorum Virorum corona, mihi puero metus incutiatur, & verba me dificiant? Solatur me tamen, & animum meum consternatum rursus erigit, quod non sponte mea ad vos venerim, sed superiorum meorum mandatis morigeratus, huc locorum me contulerim, firmissima spe fretus, A.V. mihi præbituras aures Operam ego vicissim dabo, ut verba in pauca conferens, quam brevissimè id, quod mihi injunctum fuit, exequar.

XVII.

Si quis vestrûm meam mihi objiciat tenui-

tenuitatem, huic ego hunc in modum respondebo: Metior me meo pede, probeque novi, quàm sit mihi curta supellex. Nihil itaque mihi animi à meis viribus, sed à benevolentia, à mandatis, à promissione, addo & à comminatione superiorum. Benevolentiæ Zephyrum illi mihi afflarunt, mandatis suis me ad dicendum incitarunt, promissione auxilii sui animarunt, comminatione iræ suæ inflammarunt.

XVIII.

Solent ii, qui in hoc palatio fragrantissimum perorandi viretum penetrant. in ipso orationis vestibulo complusscula præfari, unde sibi benevolentiæ audientiæque aurem & auram concilient, idq; dum se directo itineris limite assequi posse diffidunt, interdum frena laxantes, liberius exspatiantur à scopo suscepti operis, ita tamen, ut tum impense recti itineris caput insistant, cum à tramite longius digredi videntur & egredi. Eloquia enim, quæ

aureolis modestiæ & pietatis corymbis ornantur, fulgentque verborum amœnitate, mirificam pariunt aurium titillationem. Quod quidem sapienter institutum, etsi Phœbi judicio, ac testimonio Apollinis comprobatur, nec ego disidi hastula contra eorum castra conflictor, sed assensum præbeo largiter: tamen dignius amplissimo consessu, conspectuque vestro fore arbitror, si auctoritatem sequar Areopagitarum, apud quos olim legum statutis erat sancitum: μηδὲν ἐξεῖναι λέγειν ἔξω τοῦ πράγματος. Non quidem qvod istorum auctoritas me teneat, sed ipsa dicendi leges proœmium longius excludat: quæ sane tanta, ut novam in ipsa copia penuriam, & in turba curam deligendi ancipitem procreet. Etenim, &c.

XIX.

Vestros in me unum dum video defixos oculos, Auditores, arrectis dum vos hic sedere auribus conspicio, animis dum vos adesse cogito, non dicam atten-

attentis, sed attentissimis, curtæ meæ (proh dolor!) supellectilis recordatio horrorem mihi injicit, utpote quæ verborum copiam, sermonis elegantiam, pronunciationis svavitatem, gestuum denique concinnitatem, (quæ omnia amptissimus hicce confessus exspectat) mihi suppeditare minime sufficiens est, natura denegavit, paupertas iniqua non concessit. Facit tamen partim ineffabilis vestra in audiendo humanitas, singularis in judicando dexteritas, officiosa in promovendis nostris studiis alacritas ac promtitudo; partim verò Thematis ipsius, de quo σὺν Θεῷ dicere constitui, nobilitas pia, & religiosa contemplatione dignissima, partim denique exercitatio declamandi nuper cœpta, inque posterum continuanda, ut hancce humanissime mihi oblatam provinciam suscipere, eamque pro ea, quam Deus mihi largietur, gratia tractare animo haud sim abimguo.

XX.

Neminem veſtrûm eſſe arbitror, Auditores, qui non brevem & planam potius, quam longam & futililatis plenam orationem à me expectet. Sic enim mihi perſvaſum eſt, nihil eruditis auribus moleſtius atque odioſius accidere poſſe, quam verboſam, rerumq; inanem concionem. Ne igitur moleſtiam, audiendique faſtidium vobis afferat oratio mea, quam breviſſimè planiſſimeque potero, ſententiam mihi impoſitam interpretabor. Atque ut olim in vindiciarum in una gleba, ad Prætorem allata, tanquam in toto agro vindicare ſolebant; ſic ego, cum pauciſſima attulero, in iis tamen pertractandis ita verſabor, ut rem univerſam ob oculos poſuiſſe atque explicaſſe videar.

XXI.

Quanquam nihil mihi debet eſſe antiquius, D. R. quam ut mandatis tuis paream, utque ea, quæ mihi tuo juſſu imponuntur, ſumma voluntate exe-

exequar: tamen non possum non animo cohorrescere, intuens in hunc tam augustum & venerandum consessum, in quo jubeor puer ac pene infans loqui: dicere enim quid dicam? Quod si maximus ille apud Græcos orator, Demosthenes, apud Philippum, Macedonum Regem, orationem habiturus, sic expavit, ut, paucis admodum verbis expressis, pene mutus discesserit, quid mihi in amplissimo hoc amplissimorum Virorum conventu constantis mentis esse potest? Sed recreat me nihilominus tuæ, ô ornatissima coronâ, consvetudinis pristinæ atquæ humanitatis recordatio, quæ mihi non ignota, facit, ut sperem, te, si quid rudius dixerim, facile ætati veniam concessuram. Itaque facessere jusso puerili timore, ad peragendum id operæ, quod mihi publica imponit auctoritas tua, me cum venia convertam.

XXII.

Vide quid exigas N & à quo, atq; ita vide, ne aquam ê pumice postulare vi-

deare. Rem difficilem enodare me jubes, atque hoc est, ab asino lanam, à me explicationem illius materiæ poscere. Putas, me in sacris Ægyptiorum scholis hieroglyphicis imbutum esse literis? minime vero. Existimas me Apollinis mentem tenere? nullatenus. Proinde Davus sum, non Oedipus, atque ita gryphis, & ænigmatibus hujuscemodi minimè lacessendus. Quid igitur faciam? An provinciam hanc abjiciam? non faciam; quin potius mysterii hujus divinationem diligentia, quanta potero, aggrediar, ut, si non vatem, Saulem inter vates saltem egisse, videar.

XXIII.

Sunt inter meos jucundissimos commilitones, non pauci adolescentes, qui me & ingenti acumine, & eruditionis copia, & memoriæ felicitate, & orationis svavitate longe superant, quibus hæ dicendi partes rectius, quam mihi, potuissent commendari. Sed quia ita tibi D. R. visum, ut ego in hac coro-

corona erudissimorum Virorum, atq; ingeniosissimorum adolescentum, audirer, tuo paterno mandato modestè parebo, sive ab eo judicio hic honor mihi si delatus, sive benevolentia, sive, quod magis credo favore quodam patriæ meæ dulcissimæ. Sed ne prolixitate exordii huic splendidissimo auditorio sim molestus, propero: &c.

XXIV.

Nisi patientia vestra atque humanitas, Auditores, tanta esset, quanta multis jam annis de omnibus, qui ex hoc loco dixerunt, perspecta fuit ac celebrata, vereor sane, cum tanta puericia hujus loci autoritatem contingere, & in vestrum dicendi causa conspectum venire ornatissimum. At quia ipse vestram sæpe perspexi virtutem, animumque cognovi attentissimum, ita me confirmo, ut non dubitem, etiam ea, quæ à N. mihi imposita sunt, in vestra fide religioneque deponere. Ille enim pro ea, qua hoc tempore valet autoritate, mihi demandavit, ut vobis

bis omnibus & singulis, nomine totius scholæ, gratias agerem, non tantum pro honorifica hac vestra præsentia, sed etiam fide, amore, benevolentia, ac beneficentia, qua multis annis nos complexi estis, & adhuc complectimini quotidie.

EXORDIA CHRIARUM.

I.

INter Oratores, quorum ex antiqvitate ad nos pervenerunt scripta, ut ex omni parte absolutus, ita totus ad utilitatem factus est Demosthenes. Nam cum alii, plerique in verbis copiam ostentant, sensibus enerves, ac propemodum soluti sint, solus iste rebus ita densus, ita strictus est sententiis & pressus, ut in publicis orationibus Rempublicam, non hominem, in ceteris non Oratorem, aut Patronum, sed exactum judicem ac consummatum, judicare existimes. Ita autem, quæ gravissimè concepit, exprimit atq; effert, ut quemadmodum majestas, quæ

ex

ex multis constat, unum aliquid in Rege est ac principe: ita in hoc uno consummata vis dicendi ex diversis pariter virtutibus emergat, ad quam alii cum collimarint, solus eam animo complexus, verbis pariter ac rebus assecutus nobis quidem sempet visus est. Ad felicitatem hanc accesit, quod ex tota Græculorum gente nemo melius vidisse, nemo melius intellixisse vitæ rationem videtur. Ostendit id hæc sententia.

II.

Lucius Annæus Seneca, Poëta, Orator, Philosophus in tantum gravissimis scriptis nobilitatur, & per mortalium ora celius ac sublimis invehitur; ut quod in cœlo sol, in annulo adamas, in capite oculus, hoc ipse in sapientum panegyri, sapientiæ scil. Professorum columen, lumen, imo numen jure æquissimo censendus sit. Sive enim admiranda Naturæ & Democriti, & velut defossa puteo, mente informemus, penitius ea, qua ullum Chrysippeum acu-

acumen penetravit, inspexit, in lucem ac solem protraxit: sive horridos & sylvescentes humani generis mores considéremus accuratius politiusque, quam Phocion ille, in iis nimia detruncavit, scabra lævigavit, lascivientia resecavit, semper & ubique docens:

—— nullo palleſcere fuco,
Nunquam falſa loqui, nunquam promiſſa morari,
Invisos odiſſe palam; non virus in acto
Condere non latam ſpeciem præmittere fraudi,
Sed certum mentis parem componere vultum,
Occulto ſævire nefas.

Insignioribus autem virtutum stellulis, quam ullus Socrates humanam gentem insignivit, illustravit, ornavit. Quisquis verò eloquium (quod prius corde formatum, mox fulgentissimo ore, velut aureo quodam prudentiæ canali in amplissimo senatu, in Magistratibus, in sacerdotiis in imperiis nitidè culta & in quadrum ac quincuncem

cem veluti ſeptum quoddam redacta effudit) attentiùs rimatur; bone DEUS! quam hic omnia & ſingula acutè inventa, facete intorta, enucleatè explicata, nitent, ſcincillant, fulgent, fulminaut! Non leguntur hic ῥήματα, ut vocat Æſchines, verba illa lapſantia, plebeja, debilia, putidiuſcula, intimis tenebris defoſſa, papavere & ſeſamo ſparſa, amputata & præcipitia, in quæ quis, tanquam in ſaxea fragmina, ſcio impingat, ſed θήματα hæc agnoſcuntur, ſuſpiciuntur, ſola quæſita & exculta, grandia, pulchra fortia, ampullata, elucubrata, vocalia, depromta ex intimo artificio, ſublimia, ſobrietate ponderoſa, Romana Majeſtate magnifica, grata, & gratiis gratiore gratia obnupta; quæ enodent ſenſus altius eductos, tum ſpiritus illos rerum graviſſimarum, quibus veluti motibus quibusdam cum Seneca efferveſcit, ſpumat, effertur: haud ſecus, ac radii ſolis vi bibula humorem terreſtrem in ſublime trahunt; ſic ipſe mortalium ani-

animos, quamvis feros, quamvis ferreos, in quamcunque partem visum est, impellit, nec ante relinquit, quam aut incitamenta recti, aut solatia mali, aut documenta veri, exquisitissimo sapientiæ condita sale in intimos sensus recondiderit. Hoc tridente sapientiæ, æstus illos iracundiæ placat, perturbationis tranquillat, animi abalienati conciliat, & nimium redigi flectit ac malaciſſat. Quid mirum? nihil est, quod non ejus gravitatem suspiciat, mitigetur lenitate, moveatur impetu, calore animetur, argutiis excitetur, figuris delectetur, & toto illo opificio concutiatur usque eo, ut Lucii Annæi Senecæ, ac imperiosæ eloquentiæ vim fateatur, & opulentiam admiretur, & majestatem velut cujusdam Numinis amet, veneretur, honoret. Quemadmodum autem gemma in annulo splendescit, & auro vestis tota rigescit: sic omnia ejus scripta, sive pedestri illa, sive equestri oratione contexta volutentur, nusquam non doctorum Violis

lis ſuaveolentibus nitent, ſententiarum globulis ingneſcunt, documentorum acumine vibrant, veriverbiorum claritate ſplendeſcunt, monitorum liliis rident, & gnomarum undiquaque ſcintillant floribus.

Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius urit
Æſtibus, æterno ſed veris honore rubentes.
Fons Aganippæa Parnaſſidos educat umbra.

Ex pulcherrima autem horum omnium varietate inſtar emblematis pronunciatum hoc (*Perenne ſub polo nihil*) emicat & effulgeſcit.

III.

Cogitanti mihi ſæpenumero, & in ſummos homines intuenti, qui abhinc annorum duo millia artes & ſcientias, ad bene beateq; videndum neceſſiarias aut invenerunt ipſi, aut jam inventas literis illuſtraverunt & perpoliverunt, ſolus Ariſtoteles ex omni ætatum, temporum, nationumq; occurrit memoria, naturæ quadam providentia genitus, qui ea, quæ prius in diverſis ar-

artibus atque scientiis dispersa & dissipata fuerunt, μεθοδικῶς conglutinavit, optimaque ratione constrinxit. Ubi ceteri mihi videntur, tanquam partus degeneres, vel non præstitisse, quod polliciti erant, vel non perfecisse, quod ab aliis exspectabatur. Plurima quidem, ut fatear, quod res est, inchoarunt: sed imperfecta, confusa, permixtaq; reliquerunt; cum Musarum ille animus, Aristoteles noster, ingenii sui monumenta ad candidam posteritatem perfecta transmiserit, *merito queis doctior orbis submissis defert fascibus imperium.* Quoniam autem omnia ejus opera in conspectum vestrum protrahere, nec hujusce loci, nec nostrarum est virium, à mellitis floribus, quibus ea distinxit, præsentem hunc *(locus sententiæ)* qui tanquam adamas, Ophireo aut Arabico auro insertus elucet, naribus vestris objiciendum admovendumque existimavi.

IV.

Existimat Socrates, & recte sane existimat,

ſtimat, animos noſtros ex diverſis conſtare animantibus, nimirum, qui ex ſe diverſos pro diverſis animantium naturis patiantur affectus. Non his omnibus uno collyrio medebimur: diverſa pro diverſis affectibus adhibenda ſunt catapotia. Et quis eſt adeò ſiniſtra natus Minerva, ut putet, ſcriptores omnes iisdem adductos rationibus ſcripſiſſe? Quemadmodum non unum idemque eſt, quod ſcribitur: ita nec unus idemque ſcribendi finis ſtatuendus eſt. Jam & ipſis Poëtis non eadem eſt in omnibus canendi ratio, quanquam omnes huc fere enituntur, ut jucunda ſimul & vitæ dicant idonea. Præclare id præter alios mehercule faciunt Comici, quorum inſtitutum Reipublicæ & utile & maximè neceſſarium eſt, ut hinc plura commoda in eam promanare, quam interdum ex centum Philoſophorum ſcholis arbitremur. Hi enim honeſtatis exempla aperiunt, vitia inſectantur, quid rectum, vitæque integritati conſentaneum

neum sit, demonstrant indice, nec quicquam prætermittunt, cujus usus ad virtutem aliquis sit. Hos esse in vita nostra velut Mercuriales status censco, quæ in trivio constitutis qua eundum, qua declinandum, indicant. Comicos, conductis ad hoc histrionibus, voluisse tantum cives actionibus ludicris oblectare: sed quid in vita fugiendum sequendumve sit, iis abunde suppeditare, ut non absre tantum de his dictum videri queat, *& prodesse volunt, & delectare Poëtæ.*

V.

Plato jactis Reipublicæ suæ fundamentis, ne quid omnino in eâ desideraretur, legibus ac moribus ipsam muniit firmissimè, ne quicquam tantopere cavit, quàm ne in eam poëtæ homines fabulosi, futiles, veritatis duntaxat imitatores, puerorum corruptores, atque ipsis etiam civibus pernicioſi ingrediantur. Verum inscitiáne aut temeritate atque arrogantia quadam istud sanxerit, equidem (quod cum pace

pace tanti Philosophi dixerim) nescio. Nam qui Poëtas è contubernio Reipublicæ exactos damnaverit, quantam is obsecro saluberrimorum præceptorum salvam è medio sustulerit? Quid sanctius Hesiodo? quid divinius Homero? ut cæteros præteramus, qui quicquid scripserunt, ex horum uberibus quasi suxerunt. Hos ne imitatorum veritatis dixerimus, quæ ipsam graphico penicillo ita vivide depinxerunt ut, parum absit, quin Christiani dogmatis scriptoribus sint conferendi?

VI.

Licet fabulosa essent Poëtarum scripta & somniorum commenta, ut nonnulli iis non satis æqui nugantur, ita tamen fabulosa sunt, ut his nihil verius dici possit, si ad vivum singula rectè discutiantur. Atque interim plerique sunt ejus ingenii, ut apertam veritatem amplecti nolint, velatam etiam cupide affectent. Jam quot invenias, qui dulcedine potius, quàm

severitate capiuntur? Quod cum intelligerent Poëtæ, veritatem fabulis involverunt, ut quam alioqui præfractarii agnoscere recusant, ignari quoquo modo imbibant, ut vel sic deliniti mores efferati tandem mollescerent, & id quidem non secus ac

-- -- pueris absynthia terra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoq; liquore,
Ut puerûm ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absynthi laticem, deceptaq; non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat.

VII.

Omnis ætas, natioque omnis, sive ferrea illa & moribus fœde inculta, sive aurea illa & urbanitate imbuta lepidè, Poëtarum lectione ceu Circeâ quadam virgulâ, fœditatem elegantiâ tam affabrè mutat, & gravitate leporem tam viriliter temperat, ut Virgilio in mortis suæ punctulo poëmata sua voraci Vulcano consecranti non absque summo

ſummo rationis momento auguſtitiſſimus Imperatorum Octavius in hanc dictionem infenſus ſeſe effuderit?

Frangatur potius legum venerando potestas, (bores
Quam tot congeſtos noctesque dicesq; laHauſerit una dies, &c.

Quacunque enim Virgilium ingredimur, ſive Æneæ ſeſe offert pietas, quam veneremur, vel Achillis eniteſcit fortitudo, quam admiremur, vel Ulyſſis eminet prudentia, quàm ſummo amore proſequamur, vel Niſi ac Euryali elucet amicitia, quam laudibus extollamus. Illa autem omnia & ſingula, quemadmodum & certa alia, Poëtarum Coryphæus Maro & verbis lectiſſimis tam concinnè aſtrinxit: & pedibus pro rerum notione, evolvenda, tam aptè illigavit, ut, quantam parit venerationem Æneæ, Anchiſem humeris ſuis Iliaco ſubduxiſſe incendio; amorem Ulyſſi, callida ſuis conſilia ſuggeſſiſſe; laudem Niſo, ultionem mortis Euryali propriæ vitæ antetu-

lisse: tantum omnis ætas, omnisque natura & veneretur, & amet, & admiretur, & extollat divinum nostrum Poëtam: atque hoc non adeo, quod hasce res omnes aperiat, & defigat, & nativo colore expressas in ipsis legentium oculis collocet, aut nunc in Æneam, modò in Achillem, mox in Ulyssem, alias in Nisum & Euryalum Jovis instar aut Vertumni cujusdam transiisse credatur, quam quod tot pietatis, tot prudentiæ, tot fortitudinis, tot amicitiæ fontes limpidissimos referet, qui fœcundissima salutarium præceptorum illuvie, totum terrarum orbem feliciter inundarunt: ex multiplici verò illorum varietate documentum hoc: *Labor omnia vincit*, in præsens enodabo.

VIII.

Post coercitam veteris comœdiæ nimium protervam & perpetulantem licentiam Poëtæ, ut ait Horatius,

-- -- *Vertere modum formidine fustis,*
Ad bene dicendum delectantumq; redacti

remotoque choro & satyris in sylvas

cum

cum suâ caninâ facundiâ relegatis, novam inierunt rationem populi ab iis, quæ turpia sunt, absterrendi, proposita scilicet, sicut in speculo, vitæ communis imagine. Quamobrem stultos, avaros, & morosos senes, adolescentes prodigos & intemperantes; callidos & furaces servos, meretrices improbas, perjuros lenones; impudentes sycophantas; edaces parasitos: pestiferos astentatores; & id genus hominum in scenam induxerunt. Cum enim simus in aliorum peccatis lyncei, in nostris Thamyræ, nec fere quisquam respiciat, manticæ quod in tergo est: sapientibus Viris placuit, vera & pervegata vitia fictis personis tribuere. Inter hos est Plautus, quem promum condum antiquitatis Romanæ & latini sermonis autorem optimum optimi judices pronunciarunt.

IX.

Ita me Plautina delectant, ut, cum à Cicerone discessero, nemo sit, quem Plauto anteponam, & in quo ex aliquâ

ægritudine ac moleſtiâ libentius conquieſcam. Tantus hominis in jocando lepos, tam crebri ſales, ac facetiæ, tanta eſt antiqui incorruptique ſermonis urbanitas. Sicut enim in antiquis moribus plus fuiſſe probitatis nobis perſuademus; ſic antiquo ſermone plus ineſſe & veritatis, & ſuavitatis, eique tanquam vino generoſo, ac totæ Opinianæ, magnam accedere ex vetuſtate commendationem.

X

Thucydides dicendi artificio facilè omnes vicit, qui ita creber eſt rerum frequentiâ, ut verborum prope numerum ſententiarum numero conſequatur. Ita porro verbis aptis & preſſus, ut neſcias, utrum res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur.

XI.

Ex uno Catilinario bello facilè perſpicitur, quam religioſè hiſtoriæ legibus paruerit Saluſtius, ut nihil illic ſcribatur falſi, nihil non ſcribatur veri, ſuſpicio gratiæ nulla ſit, nulla ſimulatis,

latis; ut progrediatur ordine temporum, ut sub oculos subjiciat regionum situs, ut consilia præcedant, facta comitentur, sequantur eventus, ut interpositis gravissimarum sententiarum aculeis pungat imbrobos, excitet inertes, gnavos & industrios ad decus & gloriam cohortetur.

XII.

De ornando celebrandoq; Virgilio non est quod laborem: cum sit hæc Virgilii gloria, ut nullius laude crescat, nulliusq; vituperatione minuatur. Certe post Bavium, Mævium, Philistium & ejusmodi paucos, indoctos, insulsosq; obtrectatores, qui vivo Virgilio contigerunt, inventus est nemo, qui non hunc Poëtam amarit, coluerit, admiratus sit.

XIII.

Historicorum latinorum agmen Cornelius Tacitus mihi ducit, non eloquentia quidem & aliis virtutibus, (sic enim Livio est inferior) sed prudentia & judicii notis. Quis illo veri-

us narrat aut brevius? quid narrando magis docet? In moribus quid est, quod non tangat? In affectibus quod non revelet? Mirabilis omnino scripter, & qui seriò hoc ipsum agit, quod non agit: nec enim historia solum est, sed velut hortus & seminarium præceptorum. Ut ii, qui vestes acu pingunt, ingeniosè gemmas inserunt sine confusione, aut noxa formarum: sic iste passim sententias, serie narrationis nihil omissa aut læsa.

XIV.

Quintus Curtius scriptor est Principum proprius, & assiduè iis in manu, sinuque habendus, me judice probus est, legitimusque Historicus, si quisquam fuit. Mira in sermone ejus facilitas in narrationibus lepos. Astrictus idem, & profluens, subtilis & clarus, sine cura ulla accuratus, verus injudiciis, argutus in sententiis, supra quam dixerim facundus.

XV.

Titius Livius magnitudine quidem & ma-

& majestate operis ante omnes. Diffusus ille & placidus, in concionibus maximè disertus, & talis omninò, qualem Fabius descripsit. Judiciis sententiique bonus est, etsi non frequens.

XVI.

Crispus Salustius, Historicorum omninò primus, si libros modo ejus haberemus: sed historiarum corpus illud totum periit; & ex his pauculis admirari eum magis libet, quam anxiè judicare illud video, Thucydidi simillimum esse.

XVII.

Thucydides res nec multas nec magnas nimis scripsit, sed palmam fortasse præripit omnibus, qui multas & magnas. Elocutione tota gravis & brevis, densus sententiis, sanus judiciis, occultè ubique instruens, actiones vitamq; dirigens orationibus & excusatinibus penè divinus. Quem quò sæpius legas, eò plus auferas, & nunquam tamen dimittat to sine siti.

XVIII.

Polybius multa & præclara libris 40. compoſuit; ſed pars pleraque aut tota periit, aut mutilata ad nos venit, cum fraude generis humani. Is excedit, abrumpit, diffundit, & ſæpè non tam narrat, quam ex profeſſo docet. Sed recta & ſalutaria ubiq; ejus monita, & quem ego hoc magis Principibus commendatum velim, quod anxia in eum inquiſitione non opus, ſed ſenſus ſuos aperit & revelat ipſe.

XIX.

Xenophon, Scriptor ſvavis, fidus ac circumſpectus Hiſtoricus, multa ad exemplum vitæ, multa ad finem rerum ſcripſit, ſententias quidem dogmata raro miſcet, ſed &c.

XX.

Inter omnes utriusque linguæ autores, quorum monumenta præteritorum ſeculorum barbariei erepta, & ab interitu vindicata ad nos usq; perveuerunt, nulli mihi unquam potiores viſi illis, qui inter tam profligatos omni-

omnibus mundi temporibus mores omne ſuum ſcribendi ſtudium & conatum ad vitam & mores corrigendos contulerunt, contemptisque opibus & honoribus, multis potius prodeſſe, quam placere voluerunt. Quo in ſcribendi genere apud priſcos Romanos nomen ſuum cum primis profitebantur magiſtri virtutum & Cenſores morum ſatyrici, qui præclaro in mortales ſtudio atque merito, miſſo illo, quod ad æs exit, & pleriq; ſectantur ſtudio, communia privatis præferentes vulgi & potiorum odio vel amore ſpreto, ut cum uno illorum loquar, uni æqui virtuti, atq; ejus amicis, reliquis omnibus inviſi, infeſti, formidoloſi fuerunt. Inter tres autem latinos Satyricos, quorum monumenta, temporum injuriæ ſubtracta ad noſtram usque ætatem pervenerunt. Juvenalem ex merito ſuſpicimus ac demiramur, & reliquis duobus præferimus. Si enim inter autores & ſcriptores omne tulit punctum, qui miſcuit

utile dulci, non video, cui alteri omnium rectè intelligentium & judicantium calculo justius palma attribui possit, utpote cujus lectione puriſſima latinitate linguam, mores virtute & honestate, mentem denique pulcherrimarum rerum cognitione imbuere & informare possit. Non enim ille de virtutibus & vitiis, ut Philosophi, disputat, sed illa incredibili verborum & sententiarum dignitate & svavitate ob oculos ponit, & commendat, hæc incredibili Satyrici styli mordacitate lacessit, invadit, flagellat, secat, urit, lancinat, jujulat.

XIX.

Singulæ comœdiæ continent peculiaria quædam exempla, quæ in omni vita, quod ad mores attinet, hoc est ad virtutes & vitia, sequenda & fugienda sunt. In his ipsis exemplis proponuntur varia negotiorum consilia, eorumque eventus, quæ omnia venustis describuuntur sententiis, ut in animis tanquam aculei quidam in-

hæ-

hæreant nosque de rebus maximis & graviſſimis apmoneant: Non enim varii humanarum rerum caſus & eventus intelligi, & judicari poſſunt, niſi ab iis, qui ex diligenti hiſtoriarum & comœdiarum lectione hauſerunt acre judicium, & quibus ætas longa magiſtra fuit. Porro ut reliquæ comœdiæ omnes ſingularum habent commendationem propter ſententiarum varietatem: ita & hæc ſententias aliquot habet egregias: inter quas duæ maximæ ſunt inſignes.

XXII.

Quia comœdia inventa eſt, ut depingat varia hominum ingenia, varios mores, ut in hæc intuentes tanquam picturam quandam diſcant adoleſcentes, quid in omni genere vitæ, in omni ætate, in omni perſona deceat, & rectum ſit; ideo &c.

XXIII.

Cum omnes Poëtæ maximas utilitates Reipublicæ adferant, nec ſolum delectent, ſed etiam plurimum proſint,

sint, Terentius hoc sibi à puero proposuit, ut quam plurimis prodesset, nemini noceret. Et animum quidem ad scribendas comœdias apulit, ut in illis aliquas honestas vivendi leges proponeret.

XXIV.

Comœdia est imago humanorum eventuum & consiliorum, imitatio vitæ, speculum consvetudinis, imago veritatis conficta, ut effictos nostros mores in alienis personis expressamque imaginem nostræ vitæ quotidianæ videamus.

XXV.

In tanta dignitate semper sunt habita scripta Terentii, ut huic autori inter Comicos omnes eruditi palmam tribuerint: quod non sine magno consilio feciſſe videntur. Sunt enim pleraque hujus Poëtæ dicta quasi quædam oracula, & ineſt (si quis diligenter consideret) in ipso sermone tanta simplicitas, proprietas & diligens observatio decori, ut nullum videatur extare

ſtare ſcriptum, ſaltem in hoc genere, abſolutius & ſuavius.

XXVI.

Qui Terentium utiliter legere, ac in ejus lectione cum aliquo fructu verſari vult, obſervare debet, quo conſilio comœdias ſcripſerit: quod haud dubie hoc fuit, ut multis exemplis communium morum, formaretur aliquo modo judicium de rebus humanis. Habet enim hic auctor graviſſimas ſententias, quorum maximus in omni vita eſt uſus, cum de rebus magnis admoneant, & in auditorum animis aculeos relinquant.

XXVII.

Terentius eo ordine ac luce res disponit, adeo perſpicuis verbis enunciat & ſententiis ornat, ut omnes agi verſus videantur, quam recitari: Itaq; ſpectatorem non modo citra tædium retinet, ſed etiam quaſi captat, atq; incendit, ut attente exſpectet reliqua.

XXVIII.

Satis conſtat, Terentio nihil eſſe feſtivius,

stivius, & magis proprium, qui & gravitate & arte reliquos comicos apud latinos facile vincit. Huic omnino nihil deest, sed omnia, quæ præstanda sunt comico, præstidit. Habet is multa egregia exempla civilium morum & humanorum casuum, unde judicium certum peti potest de rebus humanis. Nam qui diligenter expendit hos casus, & personarum officia & consilia de rebus humanis prudentius & ipse judicare discet.

XXIX.

In uno Terentio videt quis mirabilem copiam in aliquare explicanda, diligentem dispositionem argumentorum, tum etiam in sententiis ac salibus tanta est venustas, ut lectæ non semel placeant, sed quò magis leguntur, eò venustiores apparent.

XXX.

Quia comœdia conficta est non modo, ut varietate casuum & consiliorum delectet auditorem, sed & ut rerum humanarum nos admoneat, quæ quam sint

sint incertæ & finxæ, nemini & obscurum; fit ut qui apud se diligenter expenderint, & hos casus, & personarum officia, & consilia de rebus humanis, ipsi prudentius quoque judicent. Errant ii, qui putant, animi judicium rectius Juris Consultorum disputationibus aut Philosophorum libris formari, quam hoc genere literarum.

XXXI.

Quemadmodum omnes mortales non sibi solis nati sunt, sed ut se mutuo adjuvent, vel consilio, vel re, aut ingenio: ita enim Poetæ, qui, quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videntur, aliis prodesse voluerunt. Nam non tantùm verba aut frivolas quasdam nugas secuti sunt, sed honestissima vitæ præcepta, optima exempla, quibus animi hominum ad virtutem, & ad omnes res præclaras incitarentur, & à vitiis absterrerentur, proposuerunt. Idem præstare voluit noster Poeta Terentius, cum inciperet scribere fabu-

las,

las, & noluit ab instituto decedere, sed aliis sua industria prodesse.

XXXII.

In comœdia prudentium & imprudentium exempla proponuntur, ut ex illis & nostrum mores comparemus, & judicium corrigamus, discamusque quæ probanda sint, quæque improbanda.

Captationes benevolentiæ & attentionis.

Si mavis,

FORMULÆ INSINUANDI.

I.

VEstri, Auditores, muneris erit, ut, quam aliis, qui ex hoc loco verba fecerunt, attentionem ac benevolentiam concessistis, eandem mihi ne denegetis, meiq; ingenii tenuitatem ac dicendi infantiam vestro favore & æquitate sublevetis, ut causam hanc omnium gravissimam, quæ summum civilis prudentiæ momentum in se continet, qua possim brevitate, vobis expediam.

II.

A vobis igitur, Auditores, summopere contendo, ut huic meæ orationi tanquam amœnissimæ animi peregrinationi, benevolentiæ vestræ auram accommodetis, gratiæq; vestræ serenitatem favorisq; vela indulgeatis, quo felicius instituto meo perfungi, cursumq; meum ad optatam metam perducere possim.

III.

Adeste itaq; omnes animis, qui adestis corporibus, excitate mentes vestras, mihique, quicunque parentis nomen mecum veneramini, quicunque parentes aut estis, aut esse olim desideratis, benignos tam animos, quam aures præbete.

IV.

De hac autem nobilissima controversia, *Auditores Nobilissimi, Spectatissimique* si severè & religiosè mecum judicaveritis, meamq; sententiam benevolis & attentis auribus animiq; penitus intellexeritis, auctoritas ea, qua plurimum

rimum apud omnes hactenus valuistis, hærebit, & in vobis remanebit, atque ab omnibus cùm veritatis, tum prudentiæ politicæ & justitiæ civilis servantissimi habebimini.

V.

Detur mihi, auditores Præstantissimi, coram vobis benignè audientibus liberè dicendi venia, concedatur vestræ benevolentiæ & gratiæ aura. Te verò, Nobilissima & Ornatissima Juventutis studiosissimæ corona, ut cursum orationis meæ tui favoris & attentionis diligentissimæ, æquitatisque studio, tanquam optatissimis remis & velis adjuves, majorem in modum peto. Dicam autem breviter, & quidem brevius, quam res tanta dici vel debeat, vel etiam possit.

VI.

Adeste, quæso, nobis animis, qui corpore præsentes estis, & æquitate ac benevolentia vestra meam de tanta re dicendi imbellicitatem sustinete.

VII. Vos

VII.

Vos, quæso, percipite ea auribus benignissimis, & patriæ communis ornamenta delibantem solito favore & benevolentiæ, per patriam obsecro & obtestor, sublevate.

VIII.

Quod dum facio, date, quæso, Auditores, mihi de venationis studio dicturo, quod venatores ad insectandas feras maximè flagitant silentium; date, quæ venantibus omnium gratissima est, facilem aurem; date, quæ venantibus maximè necessaria, patulam aurem; date, quam venatores summopere exoptant, liberum campum, ut, qua possit fieri brevitate, non quidem ea, quæ ad hujus exercitii laudem faciunt, percensere omnia, (quod & cohari & suspicere temerarium esset) sed ex earum rerum innumerabili copia pauca quædam seligere & comprehendere possim, quæ in hoc amplissimo loco vobis explicem.

IX. Ju-

IX.

Juvate, quæso, Viri Clarissimi susceptam tam gravis negotii causam æquitate judicii vestri, favoreque ac benevolentiâ cursum hujus nostræ orationis sublevate. Vos verò, lectissimi Juvenes studiosi, meum hoc salutis vestræ quærendæ conservandæque flagrantissimum studium animo cupidissimo complectimini. Vestra, enim, quæ omnium maxima queunt esse ornamenta; vestræ vitæ omnis præsidiæ, vestræ spe & opes fortunæque omnes in periculum hic vocantur. Quid ita verò quæritis: Num Hannibal aliquis ante portas? Imò longe pejor hostis, quam ullius truculentissimi Martis iniquitas esse possit.

X.

A vobis, Clarissimi Viri, ea, quæ par est, observantiâ peto, ut si forte non ea, quæ fieri oporteat dignitate, ac elegantia hanc meam sponsam exornavero, non ex mea lacinia, sed pretio sui & propio cultu illam judicetis, queat

atque in amore moris est, nævos, si qui non adeo conspicui sunt, non solum tolerari, sed etiam eosdem amari, ita velim æquo animo perferatis, si quod forte hiullum, asperum, & crassiorisMinervæ filum in hæc mea tela intercurrat, idque tum in mei, quem summa semper humanitate & begignitate prosecuti estis, quam in hunc locutum, vestris quasi humeris & lacertis constituistis, tum in Musarum gratiam, quas hospitas pedissequas & amicas vestrûm nemini non esse dubito, faciatis. Sentio, dum loquor, hoc ipsum; sentio, inquam, novam vestræ benevolentiæ & favoris auram, qua, si ita vultis, ad exquirendam studii nostri originem & Musarum veluti indaganda incunabula, felice tanquam in navigatione, utar.

XI.

Vos, quæso, rem benigne diligenterque audite, cujus deprædicandæ gratia huc accessi. Et quoniam de lingua dicendum est mihi, votis comprecamini

camini omnibus, ut à superis lingua detur, quæ expediundis cœptis parsit.

XII.

Quamobrem adeste animis æquis, & si quam exspectationem de magna aliqua causa habuistis, eam deponite & ad studiorum nostrorum juvenilem considerationemq; vos demittite Nam si unquam de fructu vestræ liberialitatis, si unquam de spe & exspectatione, quam de schola vestra concepistis, certius judicandi potestas vobis fuit, hoc profecto tempore potestatem optimam habetis, ut statuatis, an recte ab initio hanc scholæ constituendæ cogitationem susceperitis, & an susceptam in posterum retinere vel abjicere debeatis. Quid enim eo labore & sumptu, cui nullus fructus respondeat, ingratius aut inutilius?

XIII.

Nunc quando causam, qnæ me ad dicendum vel invitum aut nolentem impulit, cognovistis, quæ me dicere mei æquales, vestrique jusserint liberi, oro,

oro, quæsoque vos, P. C. qui publico præstis consilio, publicas curatis civitatis rationes atque utilitates, velitis non attento solum & docili, sed benigno potius atque benevolo animo, ex me, meaque, qualiscunque futura est, oratione, cognoscere, præcipue cum audituri sitis, de re non privata & aliena, sed publica & vestra omnium, & cujus maxime totius interest Reipublicæ. Nec quis ego sim, aut quam copiosè & disertè dicam, attendite: Sed, quæ afferam, quæ suadeam, quæ flagitem, quam honesta, quam utilia, quam gravia, aut potius necessaria sint, si velimus civitatem florere, abundareque non opibus solum rebusque iis, quas dare, eripereque fortuna eadem potest hora, sed optimis etiam, ac sapientissimis civibus, viris omni virtutis & laudis genere præstantibus imprimis animadvertite, animumque & cogitationem parumper à persona ad rem convertite.

XiV.

Spero, vos eâdem humanitate, æquitateque animi, qua me audire cœpistis, in bonam partem accepturos, quæcunque dixero, & rem potius, in qua versabor, quam quo in illa pertractanda, excolendaque artificio utar, inspecturos: ac quoniam in magnis ac difficilibus rebus non minus sæpe spectatur, quid sequare, quam quid assequare, & quo sis animo, quam quibus viribus, eam esse novi comitatem, facilitatemq; naturæ vestræ, eam lenitatem ingenii, at confidam, vos, etiamsi minus eo pervenero quo volo, ipsum tamen laudaturos conatum voluntatis meæ, præcipuè cum, quod juvenili cupiditate & amore laudis ductus, incensusque ardore quodam gloriæ, suscepi, id sic me tueri sustinereque visuri sitis, ut temeritatem vobis meam, quod plus mihi oneris imposui, quam verre possum, accusare fortasse liceat: quod autem susceptо non succubuerim, neque illud turpiter abjecerim, sed tulerim pro

pro viribus, non videar reprehendendus omninò.

XV.

Sed antequam dicam quæso obtestorq; vos tribuatis mihi hoc beneficium, ut, dum hæc summatim persequar, orationis meæ cursus aura lenitatis ac facilitatis vestræ adjuvetur.

XVI.

Peto autem à vobis, ut, si & in iis rebus, quas tractare institui, summam dignitatem inesse cernitis,& me nullis vigiliis, nullis laboribus, nulli deniq; rei parcentem, ut vestris commodis consulam, videbitis, industriam meam, diligentia ac benevolentia vestra adjuvetis

XVII.

Faciam, ut Imperatores instructa acie solent; quamquam paratissimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur: Sic ego vos ardentes & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor. Nam *acer & ad palmæ per se cursurus honores; Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

XVIII.

Peto à vobis per eas ipsas artes, de quibus dicere instituì, quarum utramq; vobis maximopere cordi esse novi, ut studium meum attentione vestra excitetis, attentionem silentio indicetis.

XIX.

Hic si patienter me audire dignabimini, expediam vobis istud objectum, quam potero brevissimè.

XX.

Hac de re jussu Rectoris in hoc splendidissimo atque ornatissimo consessu summorum Virorum pauca adferam, & quidem vulgaria: Nam ætas puerilis, ingenium inexercitatum, infirma memoria, mihi obstant, quo minus multa & eruditorum auribus digna asserre queam. Vos, quæso, attendite.

XXI.

Hæc dum breviter præsto, amanter & reverenter peto, ut benignè audiar.

XXII.

Primum omnium vos, Auditores, perofficiosè rogo, ut benignè & æquis ani-

animis me dicentem audiatis, ac potiùs voluntatis, honestatis, & obedientiæ præceptoribus debitæ, quàm facultatis, & ingenii mei imbecillitatis, in hoc negotio mihi demandato rationem habeatis.

XXIII.

Quod licet me omnibus modis vobis debere fatear, & fatear libenter, quia tamen ob beneficiorum vestrorum magnitudinem id grave mihi futurum prævideo, vos pro atque obtestor, ut me hac in parte pro vestra patientia benignè sublevetis, meq; pauca de vestris in hanc adolescentiam promeritis, ad scholasticos hosce verba facere patiamini. Non enim vos immodica orationis longitudine detinebo, sed operam dabo, ut paucis utrumque intelligant adolescentes, cum quanta à vobis accipiant beneficia quotidiè, tum quanta ab illis requiratur erga vos observantia, meritorumque grata memoria.

XXIV.

Ut filioli adhuc balbutientes libenter audiuntur à patribus, ſuntq́ue eorum etiam ipſi errores eis voluptati: Sic ſpero, Auditores, meam quoque infantiam vobis, ſi non jucundam, at ſane non plane ingratam fore.

XXV.

Illud modo, antequam ulterius provehar, à vobis, Auditores, ſum̃opere peto, contendoq́; , ut quando omne mihi perfugium in veſtra humanitate ſitum eſt, tenuitatem meam veſtro favore ſublevetis, atq; non aures modò ſed mentes quoq; attentas nobis panliſper adhibeatis.

XXVI.

A vobis peto quæſoq́ue, ut veſtræ humanitatis fontes, qui cæteris adoleſcentibus antehac maximè patuerunt, mihi quoque aperiatis, meq́ue attentè bonaq́ue cum veniâ audiatis.

XXVII.

Quin ſic mihi perſuadeo, me in veſtra humanitate haud mediocrem oneris mei levationem inventurum eſſe;

se: quam meam de vobis spem & expectationem, ut exigui temporis attentione sublevetis, bonaque cum venia me audiatis, majorem in modum vos oro & obtestor.

XXVIII.

Proinde cum nulla ingenii fiducia, neque proprio judicio adductus, in hunc locum prodierim, inque hac spectatissima Clarissimorum Virorum corona aliquid mihi proferendum sit, veniam me à Vestra benevolentia & humanitate, in qua omnia mihi constituta esse existimo, impetraturum, nec ullam mihi importunitatis seu arrogantiæ notam pertimescendam, confido. Dicam igitur de re proposita, sed dicam quam fieri poterit brevissimè, ut est in formula orationum vetere, quæ sciam, poteroque.

XXIX.

Igitur dum munere suscepto fungor, à vobis, Auditores, peto contendoque, ut quæ vestra est humanitas, benevole attenteque me audiatis. Mi-

hi viciſſim erit curæ, ne plus moleſtiæ, quam jucunditatis, oratiuncula mea vobis attuliſſe videatur.

XXX.

Vos, Auditores, quæ veſtra eſt humanitas ſive vulgata, ſive impolita, ſi non ad guſtum facta dederimus, veſtro favore ſingulari innovate, polite, condite: neque nos Eloquentiam duxiſſe, ſed nunc demum ambire, imô ut decore & ſine repulſa ambiamus, lineas tentare primas cogitate.

XXXI.

Æquitas poſtulare videtur, ut illi, à qua adepti ſumus, quibus ceteris opitulari & alios ſervare poſſumus, quantum eſt ſitum in nobis, contra adverſarii accuſationes auxilium feramus, ne talis, qualem iſti & cupiunt & fingunt, reverà eſſe videatur. Veſtri itaque favoris aura aſpirante, ne taciturnitate nefanda illa crimina confirmentur, veram eloquentiæ integritatem atque innoxiam evidentiſſimè à primi Suadæmaſtigis flagellis & accuſati-

sationibus asserere ac vindicare, non impari quidem causæ fiducia, sed facundia minore aggredior. Vos, Auditores, quod facundiæ sermonis deerit, ut favore ac judicio vestro suppleatis, demisse rogo.

XXXII.

A vobis itaque (Musarum Patroni, Viri vere Apollinares) à vobis orant, qua possunt observantia: sinite, quæso, ut exorent, benignè ut audiatis me, quem miserunt legatum à latere, oratorem suum talem qualem, ferendo leniter tenuem meam in dicendo facultatem.

XXXIII.

Quicquid, Auditores vel à materiei pondere alienum, aut potissimum vestris auribus, exspectatione & silentio benevolentissimo indignum occurrerit, id lubricis & infirmis tirocinii auspiciis, quæ multam ubique merentur veniam, ut adscribatis, & favoris vestri benignissimi sipario atque velo implicetis, obnixissimè contendimus. Nulla

disciplina est, in qua peccando non discatur: neque ulla probabilis est ratio obmutescendi, quia nequeas orator esse perfectus, aut in socordiam compelli, quia desponderis sapientiam Magnæ rei, quantulumcunque possederis, fuisse participem, gloria non est minima.

XXXIV.

Insistamus paulisper, Auditores, huic imagini, ac quoniam oculis nihil gratius, aut pulchrius natura nobis dedit, ex eorum dignitate & usu, Prudentiæ quoque excellentiam ac munia contemplemur. Sic ubi verò cæcus ego, aut lippus, colores non discreverò, Vos, Auditores, ut judicii vestri acumine non visa mihi addatis, hirquis visa faventiæ vestræ candore tegatis, officiosè rogo, demissè obsecro,

XXXV.

Sic facilè omnes intelligent, mihi neque industriam, neque diligentiam deesse in eo exequendo, quod magna cum ratione suscepi negotio, & vos cùm

cum ad me audiendum congregabimini, non sine magna utilitate discedetis; adeste igitur æquo animo, & quod sit vestrum officium in audiendo, cognoscite.

XXXVI.

Relinque paulum omnes vanitates, quibus toto vitæ tempore adhæsisti; & si potes, omnes cogitationes tuas collige, & in differentem transcende.

XXXVII.

Peto, ut quantum vobis deest Eloquentiæ (deest autem plurimum) tantum ab humanitate vestra ac benevolentia accedat, ne, si secus fiat, non unius viri, sed ipsius sapientiæ laudibus intercessisse videamur.

XXXVIII.

Per eam vos humanitatem rogo, quam inclusam in pectoribus domo huc attulistis, ut, dum dico patienter assidere, & attentè auscultare velitis.

XXXIX.

Spero, me à vestra omnium æquitate impetraturum, ut ad orationem meam

am faciles hodie aures, sitientesque afferatis. Quare nec veteri Rhetorum more rogabo, ut attendatis, quia res ipsa, de qua dicturus sum, hoc à vobis exigit, nec deprecabor, quod orationem offero nullo aut flore sparsam, aut artis gemma immixtam.

XL.

Qui tot anguſtiis periculi præsentis & invadentis circumquaque metu includor, ab humanitate vestra nequaquam excludar: sentio enim quam arduum sit, ac periculosum, non de majestate aliqua, quæ obmutescere cogat, sed de divinitate quadam, quæ cum voce animum ipsum suo fulgore perstringat, dicere vel hiscere potius aliquid conari. Sed quoniam refici ac recreari animum meum vestro illo favore, non nihil persentisco, dabo operam, ut admirandi hujus solis benedicti ortum imprimis, deinde fulgentissimam in meridie claritatem intueri possitis: nullum quæremus occasum in eo, qui perpetuo fulgore occidere nunquam potest.

XLI.

XLI.

Quod dum aggredior, obnixè obtestor, ut, quemadmodum reliquis ex cœtu hoc, illi quidem quærenti, horum utrique disceptanti: ita & mihi decidendi attendendo faveatis, & favendo attendatis.

XLII.

Hanc ad telam pertexendam dum pleno me confero gradu, officiosè vos compello, studiosè peto, obnixè comprecor, ut porrò benignitatis aura, benevolentiæ spiritu, lenissimo favoris zephyro in altum portum provehatis hoc leve & demissum genus dicendi.

XLIII.

Vos, Ornatissimi & Humanissimi Auditores, excitate piam in vobis admirationem, & quod admirabimini, animo colite, affectu desiderate.

XLIV.

Ulterius autem, antequam lingvæ freno indulgeam, quæso vos per eam, quam hactenus invicem ex literarum humaniorum cultu satam & propaga-

tam conservavimus, amicitiam, velitis aurium, ut sic dicam, ædes vacuas mihi aperire & peregrinantem dicendarum rerum veritatem admittere; habebitis me in aliis iterum vobis gratificandi facilem, sentietis me & hisce, quæ incepi, absolvendis brevem.

XLV.

Hoc antequam faciam, à vobis bonarum artium & partium consecraneis, eo, quo possum & debeo (debeo autem omni, possum tenui) contendo opere, velitis meæ dissertatiunculæ vela benevolentiæ vestræ favonia & auscultationis zephyro sublevare & propellere, suum, ad quem tendit, ut portum consequatur facilius & felicius.

XLVI.

Opera mea saltem vicaria est, quam antequam præstem, rogo vos, velitis in ea, qua cœpistis benevolentia, persistere, meq; illius aura, quo portum facilius inveniam, provehere.

XLVI.

Quod dum facimus, vos Auditores, quot-

quotquot adestis, ut quanto estis nobis eruditiores, tanto sitis quoque ignoscentiores, nobisque adhuc inter vos balbutientibus exigui temporis attentionem largiamini, etiam atque etiam oramus atque obtestamur.

XLVIII.

Ausculta corona discipulorum lectissima attende, vitabo sermonem lacinioſum; attende benevolè, promitto animum officioſum.

XLIX.

Quanquam de vestris animis nunquam diffidam, quorum oculos non sine favore magno video in me esse conversos.

L.

Vos, quæso, excitate atque expergefacite animos vestros, quæque de rebus omnium maximis ac graviſſimis dicere ingredior, ea ut pœnitus percipiatis, operam date.

LI.

Et si mihi illud de vestro isto favore ac benevolentia polliceri possum, ut attenatten-

attentis erectiſque animis tota mihi oratione adeſſe velitis, conabor efficere, ut omninò ſtatuatis omnem illum ſplendorem auri quandam eſſe, ad perniciem, invitationem.

LII.

Atq; utinam, dum imparibus arduam hanc molem humeris impono, aut Ciceronis voce uti poſſim, aut alacritate Demoſthenis excitari! Utinam fulgurare, tonare, permiſcere omnia, cum Pericle valerem! Sed vana ſpe delector & voto prorſus feror inani. Veſtrum eſt, auditores, infantiam hanc meam & imbellicitatem eo majori ſilentio ſublevare, & adjuvare favore, quo juſtiori impulſus amore hanc aggrediar provinciam orandi. Et quoniam nefas eſſet, omninò dicere me volentem de veſtra benevolentia dubitare, utar hac apud vos libertate, ut, quicquid conceperim animos promere non reformidem.

LIII.

Atque utinam ea mihi felix fortuna con-

contigisset, ut dum auri laudes prosequor oratione, aurea quadam apud vos Eloquentia, aure verborum flumine, ac sententiarum, uti possem! Sed quoniam in hac infantia nostra & Eloquentia tirocinio facilius optare quidvis licet, quàm assequi, nec sperare possumus in hac imbellitate, quod vix ulli post exantlantos labores innumeros est concessum; Vestrum erit eo majori benevolentia, attentioneque mihi jam adesse de re ea dicendi apud vos, quàm vos ipsi nunquam odisse potestis.

LIV.

Erigite vestros animos, & ad hanc veritatis disputationem mentes vestras excitate, Auditores, dabo operam, ut omnem quæstionis hujus errorem in luce palam veritas evincat, & longioris temporis opportunum aliquando fastidium tollat brevitas orationis.

LV.

Præbete, quæso, mihi mentes atque aures placidas, dum ea dicendo contexam,

texam, quæ summè faciunt ut utilitatem, famam, existimationem & dignitatem vestram.

LVI.

Unum verò non mediocriter me perturbat, & Eloquentiæ non satis robustæ conatum deterret, quod præco & orator tam infirmus ad pompam tanti triumphi declarandam vocatus accedam.

LVII.

Vos oro obtestorque per eam, quam erga me jam pridem ostendistis, humanitatem atq; benignitatem vestram, per æquitatem atque clementiam, qua in omnibus vestris judiciis uti consuevistis, per summam religionem, atque sapientiam incredibilem, quam in vobis omnes admirantur.

LVIII.

Favete vos, auditores, & isto vestri favoris & attentionis vento conatibus aspirate. Jaciam vestro in favore anchoram, si opus erit, & nullum inde periculum reformidabo.

LIX.

LIX.

Dum hoc iter cursumq; Virginis ad cognatam abeuntis prosequor brevi dictionis intervallo, vestros animos verbis meis velut catenis quibusdam alligare, ut dum in sacro tantæ Virginis comitatu vobis audientibus & comitantibus simul sermonem habeo; facilius visitationis significationem, non amabilem tantum, sed admirabilem, nec admirabilem simpliciter, sed adorandam, suscipiatis.

LX.

Vela ventis permittere constitui, spe hac certa fretus, fore, ut, quod clementer hactenus benignèq; est factum, exigui temporis usuram haud mihi gravare largiamini: præsertim cum in hac insolitâ mihi dicendi ex hoc loco ratione, ad tractandum argumentum oblatum tale sit, quod nec sterile, vile, aridum, nec ingratum vobis futurum.

LXI.

Quia verò multum positum est in vestra

veſtra benignitate laudandq́iue facilitate, etiam atq́; etiam peto ea, qua par eſt, reverentiâ, ut mihi Neſtorium modum non eloquenti, ſed omiſſis verborum pompis, gyris, rejectis ſermonum picturis, & lenociniis, comptuq́ue ſententiarum, verba facienti ac balbutienti, vacuas aurium veſtrarum ædes reſeratis, benevolentiam auſcultandi præbeatis, imò præſtetis: ſummis viribus contendam, obnixè dabo operam, ut rotunditate orationis, brevitate ſermocinationis faſtidium leniatur, nauſea abigatur.

LXII

Undenam igitur dictioni auxilium requiram, aut ætati patrocinium comparabo? Si me reſpiciam, deterret infantia, & imperitum humeris onus datrectat: Si verò vos aſpiciam, Auditores, recreor ac reficior non parum, jamq́; ſpes ætatis infirmitatem attollit.

LXIII.

Quæ dum brevibus abſolvo (nec enim anguſtia temporis & vel maximè do-

doloris acerbitas prolixum esse sinent) precor & obsecro, benignas sitis & aures & mentes adhibituri.

LXIV.

Vos, ò lectissimi adolescentes, ad quos præcipuè sermo meus dirigitur, erudita studiosorum corona, propago generis, spes posterorum, flos & soboles ingenuæ juventutis, seminarium Reipubl. pectora generosa & ad laudem ac decus nata, præbete, quæso, mihi mentes atq; aures placidas, dum ea dicendo contextam, quæ summè faciunt ad utilitatem, famam, existimationem & dignitatem vestram. Nam si orationi nostræ benignitas vestra facilem audientiam commodaverit, fretus probitate vestra, & integritate atq; innocentia conscientiæ meæ, spero me effecturum, ut hodiernus dies mihi pulcherrimi facti occasionem, vobis fructum ingentis beneficii obtulisse videatur. Satis superq; perspectam & exploratam esse arbitror, unicuique vestrum meam singularem erga vos omnes

mnes benevolentiam: nec ego viciſſim nunquam dubitavi de mutuo veſtro erga me affectu, quem inſtar pretioſiſſimi theſauri, & ampliſſimi patrimonii non injuria facio plurimi. Cùm igitur uterque conſecuti ſimus, quod communiter erat optandum, non utar ambagibus, nec ex alto petitis verborum blandimentis, ut ſermo meus in animos veſtros amica vi quadam influere poſſit: ſed primo congreſſus invadam in arcem cauſæ, ſimpliciterque ac ſine artificio planum faciam, quidem ſim rationibus impulſus, ut in hunc locum ad perorandi munus accederem.

LXV.

Hæc ſingula dum ſubtilius paulò & uberius perſequor, quæſo vos, Auditores adhibete mihi non aures ſolum, ſed animos, & vela hæc, ut ſic dicam, orationis meæ, zephyro benevolentiæ veſtræ afflate atque dirigite.

LXVI.

Sublatum igitur onus, quod nec abjicere

jicere sine flagitio, nec deponere sine turpitudine licet, perferre pro mearum virium modulo enitar, modo aliquantulum vestra audiendi, judicandique benignitate sublevetis.

LXVII.

Hæc dum breviter expono, velim benignè, id est, vestro more, audiatis.

LXVIII.

A vobis itaque peto, Auditores, ut aures mihi præbeatis benevolas, & à me non tam oratorium dicendi, quam Philosophicum docendi genus exspectetis: quod si factum fuerit, licèt meam infantiam probè agnoscam, ea tamen allaturum me confido, quæ dignitate præstantia futura sunt, utilitate fructuosa, jucunda voluptate.

LXIX

Fretus itaque officii mei conscientia, vestraque sublevatus humanitate & argumenti præstantia, in quo nostra versabitur oratio, cymbulam meam remis ipse quidem agere conabor. A vobis autem, Auditores optimi, quot-

quot

quot adestis, ea, qua decet, modestia peto, summisq; contendo precibus, ut eandem aura benevolentiæ & attentionis vestræ promovere & propellere non gravemini, ut quem egressa portum est, in eundem salva & incolumis regrediatur.

LXX.

Quod dum, non ut debeo, sed ut possum, facere conor, à vobis, Auditores, amanter & officiosè peto, ut animis adesse velitis, qui corporibus adestis, & non tantum aures mihi sedulas, sed mentes quoq; attentas pauliſper adhibere; quod si feceritis, à me quidem multa breviter, magna tenuiter, ardua humiliter, sed ab hoc tamen loco non aliena, dici fortasse animadvertetis.

LXXI.

A vobis, Auditores, peto, ut auram clementiæ & benevolentiæ vestræ mihi aspiretis, auresque simul & animos advertatis ad ea, quæ nec dignitate vulgaria, nec pondere levia, nec intellectu

lectu difficilia, nec auditu injucunda, nec usu infructuosa me allaturum, sed non nisi populari sermonis genere, confido.

LXXII.

Vos amantissimè rogatos volo, Auditores, ut ad usque plaudite hujus mei dramatis aures mihi benevolas accommodare & attentas adhibere velitis. Re dicam paucula, genere non vulgaria, usu frugifera, modo & perspicua & non injucunda vobis, uti spero, futura.

LXIII.

Quod dum facere conor, plus oneris attollo, quàm me ferre posse intelligo: feram tamen, ut potero, si illud vestra benevolentia & attentione quadam ex parte allevaveritis.

LXXIV.

Hoc unum denuo à vobis contendo, Auditores, ut, quo me jam attentione audire cœpistis, ejus ne tædium vobis deinceps obrepere patiamini.

LXXV.

Pro virili suscipiam hoc quicquid est oneris, illud æquô laturos animô, si vestra benevolentia & attentio me defessum sublevarit, si hallucinanti manus porrexerit, si labantem fulcire dedignata non fuerit.

LXXVI.

A vobis peto, Auditores, si vivum Principem amastis, si mortuum lugetis, si ereptum desideratis, si sepulti memoriam conservandam putatis, me, dum hoc pietatis fungor officiô, & monumentum literarium potentissimo Electori pono, vestrâ sublevetis benevolentia, attentione roboretis, æquitate firmetis, ne hoc sub onere deficiam, sed quam cœpi substructionem, ei manum ultimam feliciter imponere queam.

LXXVII.

A vobis, Auditores, per amorem, quô Illustrissimum Principem, qui jam ad superos abiit, complexi fuistis, per commiseratione, qua erga Viduam

mœ-

mœstissimam vos affici sentitis, per denique fidem & subjectionem, qua junioribus Principibus omnes & lubentes addicti estis, peto, ut meam hanc orationem non tam ex dicentis vel auctoritate vel eloquentiâ, quarum utraq; in me perquam est exigua, vel potius nulla quam ex ipsius argumenti, cujus in explicatione versor, dignitate ponderare, & aures mihi benevolas & attentas præbere velitis. Erit fortassis, ut quemadmodum in arenarum confluvio interdum auri globulos reperire licet: ita, si non multum, ac parum tamen utilitatis ii, qui juniores estis, ex illis, quæ jam dicturus sum, percipere queatis.

LXXVIII.

At vos, ô Proceres, nostræ Patresq; vocati
Salanæ, sancti Princeps Gerenharde Senatq
Sceptra gerens & frena manu, sed mollia, vanas
Invidia supra nubes ventosq; locandæ;
Vos, qui salvifici cœlestia dogmata veri
Spargitis in populum; Vos, ô rutilantia Juris

Fulgura, Vos, Medicas facitis qui gnaviter artes:
Qui Sophiæ celsas mægnæ properatis ad arces
Impete: Vos juvenes castis manus impigra Musis,
Flos patria, spes lata, salus certissima terra:
Et quisquis seu civis ades, seu candidus hospes:
Vos, rogo, ne grave sit, mihi jam præbere paratas
Paucula dicenti, tempo quæ postulat aures
Ferte pedem, præbete manus, animate paventi:
Conatus, animisq; precor, lingvisq; favete:
Semper ego vestro qvoque velificabor honori,
Res quoties tulerit, quoties occasio rerum.

LXXIX.

Hoc argumentum mihi tantum benevolentiæ conciliabit & audientiæ faciet, ut cujus rei gratia hanc in scenam prodierim, æquè & animis & auribus pro singulari vestrâ humanitate sitis accepturi. LXXX.

A vobis peto, Auditores, ut, qua me atten-

attentione & benevolentia audire cœpistis, deinceps eâdem quoque meam hanc orationem ad præstitutum usque finem prosequi non gravemini.

LXXXI.

A vobis, quot adestis, Auditores optimi & lectissimi, ut duobus verbis omnia dicamus, peto, seu summis potius contendo precibus, ut ea, quæ dicturus sum, si tolerabilia fuerint, boni consulatis, non aliter quàm hospites frugales panem cibarium & Xenocratis caseolum fastidire non solent; sin popularia & plebeja, memineritis, me non in scholarum argutiis & περιττίσμασιν occupari, sed versari in iis, quæ ante pedes nobis sunt posita, de quibus non inscitè illud Socratis usurpare possumus: Εὐξαίμην ἂν τὰ κοινὰ εἰδέναι, τοσοῦτον ἀποδέω τῶν περιττῶν. Optarim ea, quæ communia & protrita, nosse, adeo quæ superflua sunt & supervacanea, scire non desidero. Sed incipiendum Damœtæ, (qualescunq; tandem Menalcæ judicium fuerit,) quem ut be-

nevolum Menalcæ judicium subsequatur, optamus.

LXXXII.

A vobis, Auditores, quorum apud me plurimum valet, ut apud omnes peræquæ valere debet autoritas, duo sunt, qui summopere contendo: primum quidem, ne rerum pulcherrimarum, quibus de verba facturus sum, magnitudinem ex mea potius oratione, quam ex illarum pondere æstimetis; tum verò, ut præstetis in me audiendo tantam benevolentiam, quanto demortuum Principem, dum in vivis erat, amore prosecuti estis; tantam attentionem, quantam vultus vestri, & oculorum in me conjectio tacitè pollicentur.

LXXXIII.

Vos ego, senes præclarè omni de patria meritos, Vos ego, viros in rebus gerendis alacres atque indefessos, Vos ego. Juvenes & adolescentulos, in Ecclesiæ & Reipublicæ spem hactenus educari solitos, Vos omnes, qui, quæ dicun-

cuntur, attentè auditis & probe intelligitis, &, si recta judicatis sincere, si dubia candide, si incommodiora amice, peramanter & officiosè propter & defuncti Principis memoriam, & Generosissimorum filiorum gratiam, & totius familiæ Saxonicæ dignitatem, rogatos volo, ut benevolas mihi præbere aures, cum temporis haud multi dispendio, non gravemini.

Sint procul à nobis qui futilis instar arachnes,
Et niveis fugunt nigra venena rosis.
Sit procul à nobis atro qui sanguine fallax
Est potis aquoreas tingere piscis aquas.

LXXXIV.

Vos, auditores, ut benevolas mihi præbeatis aures, non rogo: quid enim opus, ut currentes instigem, ut attentos excitem, ut vigilantes expergefaciam? Sed potius gratias ago maximas, quòd tam parati, ad audiendum ea, quæ Principibus nostris Clementissimis honori sunt futura, convenistis.

LXXXV.

Quam meam opellam, ut aura attentionis & benevolentiæ veſtræ proſequamini, & feliciter ad portum, quem tenere cupio, provehatur, peramanter & officioſè propter & mortuorum deſiderium, & viventium ſolatium, peto.

LXXXVI.

A vobis, Philoſophi, ad omnia parari, tum vos bonarum artium & partium ſtudioſi, quotquot adeſtis, lectiſſimi, ſubmiſſè & honorificè peto, ut benevolas mihi præbere aures & paratas ne recuſetis. Unicè daturus ſum operam, ut quicquid tædii huic oratiunculæ, vel rerum ipſarum de quibus verba facturus ſum, gravitas vel ſtylus macilentus & jejunus, hoc attulerit tempore, id ipſum brevitate, quæ nos omnes ferè allicit, leniatur & alleviatur. Nec aliud hujus operæ filum, quàm quod ipſa mihi natura & tempus vitæ præſcripſerit, quæ via compendioſa maximè, conſectabor.

LXXXVII.

LXXXVII.

Per hæc itaque capita meæ hujus & triplicatæ quidem opellæ, dum ordine festinabundus eo, ut auram vestræ benevolentiæ & attentionis mihi adspiretis, & animis ac linguis faventis, Auditores, per novi Principis gratiam & autoritatem, per totius Patriæ lætitiam & gratulationem, per spem, quam omnes concepimus, optimam, per denique vestram humanitatem, amanter vos & officiosè rogatos volo.

LXXXVIII.

A vobis, Auditores, peto, ut audaciæ huic meæ detis veniam, & hanc veniam audiendi lubentiâ, & hanc lubentiam silentio & attentione, & hanc attentionem temporis non longi patientiâ, & hanc patientiam mansione non invitâ significetis; quod Illustissimo Principi honorificum, vobis laudabile, mihi longè gratissimum est futurum.

A totâ hac coronâ reverenter & officiosè peto, ut tenuem & qvalidam orrtionem, sed adolescentum studiis & pietati alendæ servientem, huic tempori & loco maximè, ut arbitror, congruentem, candide & benignè audiant. Dabo enim operam, quod orationis elegantiæ & compositionis svavitati deerit, ut rerum bonitate & historiolarum cognitu non in utilium, nec insuavium, varietate compensem.

XC.

Hæc geminæ per capita orationis (duplicem enim rerum copia sibi deposcit) dum ordine ad usque finem ultimum & metam opellæ meæ lentâ festinatione, quæ maximè probatur Augusto, descendere conor, à vobis peto, Auditores, ut vestro me animetis silentio, attentione juvetis, æquitate sublevetis, patientiâ toleretis, & approbatione denique provehatis ad exitum usque mei, quod jam mihi explicandum sumpsi, argumenti. Hoc si lubentes volentesq; feceritis, non tam

id

id in meam, (quis enim ego sum?) quam in Illustrissimi Principis nostri gratiam, à vobis ita factum esse, & certo persuasum habebo, & omnes apud bonos viros confirmabo, & inter illos, quibus ruta Saxonica voluptati est, & cum alimento, tum remedio semper, dum vivere mihi licuerit, prædicabo.

XCI.

Etsi autem in hac ætatis & judicii mei imbecillitate fatear, me ad tanti Principis memoriam, & virtutes prædicandas, longè imparem esse, tamen, ut supremus Princeps & Dominus Deus noster infantium quoque & lactentium voce laudes suas perfici non dedignatur; ita vos spero meam vocem quantumvis puerilem & balbutientem qua Ferdinandi Imperatoris regias virtutes, in hac ornatissima Generosissimorum Procerum, ac nobilium & doctissimorum hominum ac studiosorum adolescentum corona, cõmemorare jussus sum, benigne attenteq; audituros esse. Quod, ut faciatis, reverenter oro.

XCII.

XCII.

A tota hac procerum ac doctorum corona reverentèr peto, ut hanc vitæ defuncti Principis commemorationem, non prorsus cognitu ingratam, nec injucundam, ut spero, futuram, benignè attenteque audiant.

XCIII.

Oro igitur, ut pro vestra humanitate me benignè audiatis, & si jejunior aut exilior instituta laudatio esse videatur, non patriam meam existimetis plura dicendi ornamenta non suppeditasse, sed infantiam meam & orationis inopiam tantarum rerum amplitudini non respondisse sentiatis.

XCIV.

Cùm in hac tenuitate mea non possim orationis svavitate ac elegantiâ politissimarum aurium vestrarum exspectationi respondere, operam dabo, ut illustrium exemplorum commemoratione & sermonis brevitate tædium vestrum levem.

XCV. Hoc

XCV.

Hoc firmius mihi persuadeo, Auditores, jam mihi paratum esse refugium in vestro favore & benevolentia, quorum constantiam in veritate unà mecum defendenda abundè cognitam & perspectam habeo, eoque minus vereor ne causâ excidam, quàm si non eâ, qua par est, promtitudine egero, vestris tamen auspiciis sublevari, animo jam ante perspicio.

XCVI.

Quod dum nos planum facere conamur, & Scarabæi exempla & simulacra depromere ex illius indole, quæ ad scientiam æque ac virtutem pertinere variam videantur, ne sit vobis grave aut molestum Auditores, pati hoc animalculum vestris auribus insonare quædam scitu necessaria, jucunda cognitu, factu jucundissima. Non pœnitebit vos impensæ quantulæcunque temporis, quod ego in longum oratione minimè protraham, neq; ignominiosum est, ex quacunque naturæ parte haurire, unde vel meliores effici, vel doctiores possimus. XCVII.

XCVII.

Hoc & jucunditate & ubertate suâ facile mihi se commendavit argumentum. Atq; utinam voluntati vires respondérent! nam Solis excellentiam, & præstantiam Principis, res in naturâ rerum unicas, oratione conferre, non tironis imperiti, sed exercitatissimi est veterani: adeoque vereor, ne Soli tenebras principali Majestati maculas tantum, inconditâ meâ oratione offundere videar. Solatur me tamen vestra, Auditores, gratia & humanitas, quæ obscuris lucem, honestis conatibus veniam consvevit elargiri, quam, meæ tenuitati, ac balbutiei, ut ad semihorulam largiamini, qua par est, demissione contendo & obsecro.

XCVIII.

Quod dum ulterius edisserere aggredior, â vobis, Auditores, vestram, eâ, qua par est, cum modestiâ & observantia benevolentiam, ut mihi balbutienti potiùs, quàm dicenti, in tam graviſſimæ materiæ difficultate, ob

mei

mei ingenii & judicii inopiam, succurratis, enixè peto, & contendo.

XCIX.

Herculis sanè hîc opus esset etiam providentiâ & robore, qui in ipsis inviis viam monstraret: sed quia in ludô magis & exercitii causa, quàm seriò, res agitur, etiam non Hercules tantas ambages declinare & componere conabor. Quicquid viribus deerit, voluntati ut condonetis, atque favore & benevolentiâ vestrâ suppleatis, à vobis, Auditores, demisse contendo.

C.

Quod dum paulò uberiùs persequor, per Musas & omnia sacra humanitatis, vos Auditores, obtestor & imploro, ut illos animi internuncios, quasique satellites, aures, mihi adhibeatis, & vela hæc orationis meæ, flamine benevolæ audientiæ, nec non favoris vestri zephyro, afflétis ac dirigatis.

CI.

Favete voluntati meæ promtæ, facultati verò defectæ, & imparem tantis

tis rebus conatum meum veſtræ ſapientiæ & humanitatis ſubſidio adjuvate.

CII.

Componite veſtras mihi pauliſper aures, Auditores, & benevolentiam in me flectite veſtram, dum orbem ad exempla Regis egregia compoſitum pauliſper verſo: hinc, quam altè dogma hoc Principibus imbibendum, in venasq; animi immittendum ſit, plenius patebit.

CIII.

Veſtrum erit, Auditores, Archelaum illum æviternâ memoriâ dignum Regem vobis ob oculos ponere, quem inamœnæ vocis homines de induſtria audiviſſe, ut deinde eloquentiores eò jucundius & alacriùs exciperet & diſcerneret, hiſtoriæ prodiderunt. Ut Tullianæ ſvavitatis cincinnos Demoſthenicæ eloquentiæ lepores, Theophraſteæ divinitatis ſermones de facundiori ore ſuaviùs hauriatis; meam neque torno, neque cothurno compa-

paratam aut exasciatam orationem, nunc aure benigna, vultu augusto percipite, & audientiam mihi, non sermonis nitore aut pondere impulsi sed vestrâ vobis innatâ humanitate persvasi, facite.

CIV.

Verùm apud me nihil, nisi mentis cæcitas, imbecillitas ingenii, oris infantiantia: quapropter ea, qua par est, animi observantia vos convenio, ut benevolentiæ attentionisq; prosequi me aura dignemini: tironem in dicendi arte nondum exercitum, potiùs humanitate vestra sublevetis, quam acri severoque judicio vestro opprimatis.

CV.

Cùm mihi candida mens & attenta duris vestra ignota aut incomperta non sit, fiduciâ potius pristinæ erga me benevolentiæ & audientiæ vestræ, quàm virium mearum audacia, tantas res aggredior, tanto pelago innavigo. Quia ergò vestris favoris & attentionis veluti Etesiis, etiam ubi autumnus

mare

mare asperat vela mea impletis, & prosperatis, ancoras tollo, oraq; vestra cum gratiâ solvo. CVI.

Vos, Auditores, dum ego de justitia & judiciô impolita & inextricatâ linguâ peroro, ut ne rigidi juris lance, sed æquitatis atque benevolentiæ trutinâ me meaque expendatis, obnixè rogo. CVII.

Quapropter dum arbitri partes, in lite hac componenda & concilianda, obeo, ea qua par est, qua convenit, debita observantia, æquanimitatem vestram imploro, ut cursum orationis inchoatum, zephyro, ut sic dicam, favontiæ vestræ affiare, eoq;, quo alios tam largè admodum estis prosecuti, provehere ne dedignemini, devotissimè oro. CVIII.

Jam intelligo, pari officio ac pietate potiùs vobiscum mihi esse certandum, ne mea vox desit mortuo, cui viventi mea opera atque industria non defuit. Quod dum breviter fa io adeste, quæso, animis Patres, & da i ven-

am,

am, si quid indignum eruditis auribus vestris attulero; confido tamen fore, ut si cætera fortasse à vobis desiderabuntur, meum certè studium gratique animi officium non desideretur.

CIX.

Rogo itaque & obsecro, hoc, quodcunque sit orationculæ, æqui & boni faciatis, & si quid incultum impolitumve dixerim, partim exiguitati meæ, partim temporum angustiæ & brevitati, acceptum feratis.

CX.

Quod cùm ita sit, uberrimum sanè fructum ex omni labore & industria meorum studiorum ad me hodiè pervenisse crederem, si in hoc præstantissimorum hominum cœtu, consessuq; celeberrimo, tantum sermone præstare possem, quantum vos ipsi arbitramini, qui huic muneri ad nobilissimos & honestissimos semper deferri solito parem judicastis. Cæterùm quia neq; id datur, neq; ipse, qui ex hôc locô ornatissimô dicturus veni, jam plures dies adversa vale-

valetudine conflictatus, non modò corporis, sed ne mentis quidem sim satis compos, dabo operam, ut, si non copiâ orationis, non ornatu, non sententiarum & verborum pondere, vestræ respondebo exspectationi, brevitate orationis saltem & novitate satisfaciam.

CXI.

Ego cùm nec ingenium, nec eloquentiam, nec ætatem denique meam, parem huic loco auctoritatem præstare posse confidam, omnem spem meam atque consilium, humanissime Princeps, in te locavi: soles enim pro innata tibi mansvetudine, cum de laude civium tuorum agitur, & eorum maximâ, qui de Republicâ benè meriti sunt, aures tuas incredibili quadam attentione præstare. Vosque, Patres optimi, qui hujus funeris decorandi causa tanto studio, tam inusitatâ frequentiâ convenistis omisso dolore, aures jam vestras accommodate his laudibus, quas de vita, de ingenio, de gloria hu-

hujus prætantissimi Viri, civis nostri, dicturi sumus.

CXII.

Quod, ut ita esse, omnes intelligant, etsi rogandi non estis, tamen, ut consvetudinem servem, peto, ut diligenter & attentè, ut cœpistis, audiatis, dum ego non ambitione, aut gratiâ aliqua, verum eorum, quorum voluntati nihil denegare honestè possum, jussu adductus, præstantissimi hujus Principis honestam vitam, egregios mores, præclaras in Republica actiones expono.

CXIII.

Quamobrem vestræ erit humanitatis, Patres Amplissimi, quoniam animatum melius me, quàm paratum ad hoc onus intelligitis accessisse curare atque efficere, ut quod minus à me propter ingenii mei imbecillitatem potuit provideri, id ipsi vestrâ benignitate atque indulgentia corrigatis. Quodsi, ut spero, feceritis, tum me oneris hujus magnitudine opprimi minimè patiar

tiar, verùm contentis animi viribus, illud, quoad potero feram: sin, quod vix metuere possum, à vobis deserar, sic tamen habetote, me, in tantâ difficultate, maluisse exspectationi de me vestræ, si quam modò excitaveram, minus respondere, quam aut meæ erga N. pietati, aut illorum, quibus ego multum soleo tribuere, voluntati, parum cumulatè satisfeciſſe.

CXIV.

Suscepi atque funebrem hanc commendationem, tametsi invitus, ea tamen spe fretus, quod videbam, neminì paratam esse ignominiam, qui optimi Principis laudes pro dignitate amplecti dicendo non potuisset. Quare vestræ pietatis erit, Patres mœstissimi, sedato parumper dolore, patientissimas aures accommodare orationi. Consveyisse enim pro vestrâ manswetudine hoc officium præstare, iis cumulatissimè, qui de laudibus eorum hominum acturi sunt, quos de vobis optimè meritos esse cognoscitis.

CXV.

CXV.

Vos sedulò auscultate, atque animum advertite, & eâ, qua soletis, comitate perpendite, quæ dicam, Erunt, opinor, hæc nec injucunda relatu, nec ingrata auditu, nec indigna cognitu.

CXVI.

Vos, judices, oro atque obtestor, ut attentè bonâqve cum veniâ verba mea audiatis. Fide, sapientiâq, vestrâ fretus, plus oneris sustuli, quàm ferre me posse intelligo. Hoc onus, si vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studiô & industriâ, sin à vobis, id, quod non spero, deserar, tamen animô non deficiam, & id, quod suscepi, quoad potero, perferam, quod si perferre non potero, opprimi me onere officii malo, quàm id, quod mihi semel impositum est, aut propter vestram iram abjicere, aut propter animi infirmitatem deponere.

CXVII.

Sed quia ratio officii, quo nemini bono quicquam debet esse antiquius, hanc

hanc dicendi personam mihi imposuit, peramanter à vobis peto, ut oratiunculam meam non Catonis censurâ notandam, sed æquanimitate & benevolentiâ vestrâ sublevandam esse judicetis.

CXVIII.

Vehementer tamen vos oro, ut me benigno & attento animo audiatis: quod si feceritis, efficiam profectò, ut verissimum esse judicetis canes non solum cæteris omnibus animalibus rationecarentibus, verum etiam multis hominibus esse meliores.

CXIX.

Hoc est illud factum, de quo nunc ac vos verba faciam: quod dum breviter perstringo, quæso, ut feciſtis adhuc, diligenter attendite.

CXX.

Patiamini igitur, me depari illo eloquentissimorum Virorum, secundum quod non est aliud par, pauca in medium afferre & deliberare ex illis, quæ Plutarchus de hoc argumento scripsit.

CXXI.

CXXI.

Quod argumentum tam utile est, ut sine mea obtestatione ad audiendum debeatis esse parati: per studiorum tamen vestrorum utilitatem, qua ut mihi nihil est prius, ita vobis nihil debet antiquius, vos hortor, ut benigne & bona cum venia me audiatis.

CXXII.

Vix è scholarum emissus carceribus, nullo rerum usu, nullâ dicendi facultate, instructus, non possum molem & pondus gravissimæ hujus ac usationis sustinere: Propterea submisse & humiliter à vobis peto, judices, ut verba mea benignè audire, & in nefariæ cædis authorem animadvertere velitis.

CXXIII.

Vos ergò, qui adestis in hoc consessu, vehementer etiam atq; etiam oro, ut libere & sine affectu propositam controversiam expendatis, præjudicatasq; opiniones ab animo tantisper abesse ju-

beatis, dum meas vobis rationes exposuero.

CXXIV.

Cùm verò neminem ex vobis mihi suam benevolentiam denegaturum in votis habeam, longè aliâ ratione ad hanc agendam causam accedo, & probabilioribus instructus rationibus me conspectui vestro committo.

CXXV.

Quamobrem adeste animis, Auditores, & liberè judicate.

CXXVI.

De quibus ut me dicentem (quid dico dicentem, Scholasticè potiùs dissérentem) benignè attenteque audire dignemini, atiam atque etiam rogo.

CXXVII.

Quod dum, utpote qui judiciô immaturô, ingenii viribus perexiguis, dicendi autem facultate planè nullâ præditus sum, rectè à me præstari non posse, agnosco; ea tamen, si me tantillum audire non gravabimini, dicturum me σὺν Θεῷ confido, quæ auribus ve-

vestris saltem non ingrata, nec nobis studiosis inutilia futura sunt.

CXXVIII.

Sed quoniam ita accidit, ut hæc mihi quasi provincia traderetur, quam me recusare nullo modo liceret, peto à vestrâ clementiâ, benignitate, præstantiâ & humanitate, ut me, in omnium nostrûm maximi doloris summâ perturbatione verba facientem, favore & studiô vestrô sublevetis, nam utroq; mihi admodum opus esse intelligo, cùm propter ingenii mei mediocritatem, tum asperitatem temporis, & casus atrocitatem.

CXXIX.

Expediam me breviter, si placidam, quod oro, addixeritis auscultationem.

CXXX.

Veniam proinde dabitis, Viri omnium ordinum splendidissimi, si pro oratione splendidâ miserabilem lessum vobis exhibuero, si sublimia humiliter, ampla tenuiter, illustria ornatè

tractavero. Cæterum ut attentè me benevoleq; audiatis, non magnopere rogo, cum vel sola Principis defuncti pietas & singularia in nos universos promerita ad auscultandum vos excitare & accendere debeant.

CXXXI.

Vos omnes ac singulos interim, quo possum studio, enixè oro atque obtestor, ut me benignè & attentè audiatis. Quod si, ut nullus dubito, impetravero; dabo equidem operam, ut, quando neque orationis ornatu, neque elocutionis luminibus me vobis commendare possum, veritate saltem & simplicitate dictionis gratiam aliquam à vobis non invitis ineam atque reportem.

CXXXII.

Quamvis mihi meæ tenuitatis conscius satis noverim, quàm exiguæ ingenii & eloquentiæ vires mihi sint, ut satius hic sit, quemadmodum Salustius de Carthagine dixit, silere, quam parca, neque illa pro merito & dignitate

tate tanti Principis dicere: fretus tamen vestrâ, Auditores optimi, humanitate & benevolentiâ, qua alios antè hac perorantes ex hoc loco complexi estis, potiùs ineruditæ eloquentiæ, quàm neglecti pietatis officii reprehensionem incurrere verebor.

CXXXIII.

Quæso à vobis, ut de singulis attingentem aliquid benignè audiatis. Quod si me hac benevolentia vestra sublevatum sentiam, omnino futurum confido, ut, quod dolor mihi & luctus in hac parentatione detrahit virium, id vestra instauret in me audiendo benignitas.

CXXXIV.

Quamobrem cùm nostram, fateamur infantiam, par erit dignitatem orationis nostræ non tam à dicentis æstimari Eloqventiâ, quàm ejusdem officio. Cui ut in hoc mæstissimo & luctuosissimo casu deesse noluimus: ita, in summâ pectoris consternatione, eniten-

nitenti proviribus vos æquos & benevolos fore judices, arbitramur.

CXXXV.

Intelligo, quàm difficili & scopulosâ in causâ versetur oratio, quam de Principis nostri laudibus institui: de quibus, quid est, quod hominis cujusquam Eloquentia adferre possit tantum, ut non ejus oratio tacitâ opinione vestrâ vel malevolentiæ, vel imbecillitatis condemnetur: quorum alterum facilè præstabo; alterum ut caveam, non est mei ingenii. Vestri auxilii est, Auditores, à quibus hanc quasi gratiam peto, ut patiamini idem me facere, quod Imperatores pro re natâ in bello faciunt: qui cum angustiis locorum inclusi ad pugnam educere universum exercitum non possunt, optimos & lectissimos milites in primam aciem subducunt, cæteris remotis: itidem ut mihi liceat hôc breviſſimô temporis curriculô, tanquam angustiis circum scripto, ex infinitô laudum numerô capita modò rerum & fastigia delibare breviter,

ter, atque decerpere. Quod dum facio, oro obtestorque vos per illum ipsum Principem, de quô dicimus, ut orationis meæ cursum aurâ levitatis & humanitatis vestræ sublevetis, ut quantum virium in progressu orntionis dolor mihi detrahet, tantum animi vestri in audiendo me attentio submini-stret.

CXXXVI.

Etsi, ut adferam aliquid vestrâ exspectatione dignum, Auditores, & nobilissimos hujus juventutis animos expleam, ut respondeam tam celeberrimæ Academiæ nomini, atque famæ, quæ totum jam diu terrarum orbem peragravit, vix ab hac tenuitate requirendum est; tamen frequens hic vester conspectus, hæc summa alacritas vultu & aspectu significata, pellit omnem metum animo, cumq; mirandum in modum recreat, atq; confirmat. Cùm igitur vos ad attentè auscultandum satis vestrapte sponte paratos esse confidam tamen magis consuetudi-

ne, quam quod ita necessarium judicem, à vobis summopere contendo, Auditores, ut istam ipsam alacritatem animorum, quam concurrendo declaraſtis, mihi, in hoc sanctissimo Philosophiæ sacrario, in his ipsis delicatis Musarum sedibus, de re ad summam Reipublicæ Christianæ, atque ad omnem nostram vitam salutemque spectante, verba facienti, præbeatis, hanc attentionem tantam, hoc silentium vestrâ moderatione dignum, ad extremam orationem conservetis.

CXXXVII.

Pulsus est jam omnis metus animo, Auditores, fugatus est, excessit, liberiorem posthac cursum tenebit oratio: nam & frequens hic vestræ conspectus, hæc omnium alacritas vultu & oculis significata, meum animum mirandum in modum recreat ac confirmat.

CXXXVIII.

Dicturus itaq; de re tam arduâ, minimeq; levi, rogo vos, Auditores, vel potius

tiùs precibus omnibus oro, atque ob testor, ut mihi aures, non quas circulatoribus, scurris & morionibus, sed quas sacris concionatoribus sveviſtis arrigere, præbeatis, verbaque mea in memoriæ thesaurum, scrinium, & armariolum recondatis.

CXXXIX.

Animadverti singularem vestram, Judices, benevolentiam & attentionem in causa Medici & Juris Consulti audienda: bona ego sum spe, quod idem facturi sitis nunc in patrocinio Theologi, idq; potissimum, quod non mea, sed communis salutis causa, non hæreditatis obtinendæ, sed veritatis defendendæ, non opum, quas Theologus contemnere debet, sed pietatis studio hoc faciam, ut hinc pateat amplissima Theologiæ dignitas, incredibilis utilitas & summa necessitas, ut pateat, quàm non modò arti Medicæ & Iurisprudentiæ, verùm etiam reliquis omnibus scientiis præferenda sit Theologia, ut inde animi adolescen-

tum ad eam magis accendantur, & illi imprimis, qui huic studio idonei sunt.

CXL.

Hoc unum oro atque obtestor unicè, ut vos, quos partim hujus præstantissimæ disciplinæ verticem consecutos, partim illius sacris imbutos atque initiatos videmus, qua cœpistis benevolentiâ, vestrâ humanitate dignâ, me timidè de tam pulcherrimo Dei munere ac donô, in quo excolendô tantum operæ temporisque consummendum esse judicastis, dicere ingredientem, sublevetis. Quô impetratô efficiam profectò, si efficiendi voluntatem facultas consequetur, ut quæ sit Theologiæ cum cæteris disciplinis collatæ præstantia, utilitas, jucunditas & necessitas, non tam discatis, quàm me, undecunque datur, subjiciente, memoriâ repetatis & ruminetis.

CXLI.

Quod priusquam facere aggredior, & antequam orationi ad immensum pelagus superandum plena pandam vela, fretus vestrâ omnium vultu & ocu-

oculis significatâ alacritate ac singulari benevolentiâ, quâ me balbutientem verius quàm dicentem sublevabitis, magnoperè oro, ut mecum thronum gratiæ, Christum Jesum divinum Numen, concordibus ardentibusque animis & precibus imploraturi, adeatis, ut ejus ope, & afflatu fœcundô ea utrinque & dicere & facere possimus, quæ & honorem ipsius & animarum nostrarum promoveant salutem.

CXLII.

Optarem quidem vobis magis idoneum pœnitentiæ Præconem obtigisse, qui vos non voce solùm, sed vultu etiam, gestuque ad eam provocaret, qualis erat olim Johannes Baptista, insignis pœnitentiæ assertor, cum suis locustis, melle sylvestri, camelorum pilis & reliquâ suâ nuditate. Verùm cùm id frustrà jam optem, & semel in hanc missus sim provinciam, humanitate vestrâ, & hilari vultu fretus, ardenti animô orationem tam salutarem, in hôc consessu ingredi non pertimescam.

CXLIII.

Hanc autem orationem, Auditores, cum ab argumento vobis in universum omnibus longè gratissimam fore sciam, phaleratis & verbosis ambagibus mentium vestrarum intentionem auriumque attentionem nullus solicitabo.

CXLIV.

Contremisco, cum omnia hæc uno intuitu revolo, & præ metu conticescerem, voxque faucibus hæreret, nisi vestra, Viri nobilissimi, singularis mihi sæpius perspecta benevolentia & æquanimitas refocillaret, speraremque, vos omnia illa, mihi in hoc initiò difficilia, pro æquitate vestra, jam ante præmeditatos, aut saltem nunc ita à me enumerata, & imprimis illud cogitaturos, perexiguum mihi, ut plerique nostis, temporis, imò non ita multas horas ad egregii aliquid cogitandum conficiendumque fuisse, atque ita, si vestræ de me exspectationi non satisfecero, æquissimò animò condonaturos.

CXLV.

CXLV.

Putarem hodie in N. laudibus tanquam in immensô quodam oceano orationis meæ vela explicare: sed cum omnem orationem vestrarum cogitationum impetus non solùm vindicant, sed etiam obruant, excludor undique: siquidem dictionis meæ cursum sive N. splendor ita opprimit, ut exordium hoc meum, quod æquabili & perpetua quadam periodô ad Rhetorum præscriptum deberet vinciri, interrogatiunculis interruptum, concisum commatis & membris fluitans timidè, portendat nescio quod meæ existimationis imminens naufragium, nisi aura quædam lenior è cœlo illapsa orationi meæ, tanquam naviculæ fluctuanti, afflaverit feliciter. Sed afflavit aura, meq; pene fractum tempestate recreat mirificè: quippe cùm amor vester in N. è Deo haustus, & è Spiritûs sancti fotu continenter altus, non patiatur me, dicendo, vincere vestram cogitationem, humanitas sal-

tem illa, quâ vos natura polivit, sinet me tanquam Athenesium coram Philone aliquantulum ineptire, quemadmodum enim Athenesius, cùm cogeretur de gloriâ dicere coram Philone (cujus jam aures cognoverat & Demosthenicæ Eloquentiæ inustas calamistris, & Atticæ dictionis puritate delicatè politas) illum somniavit absentem, ne tanti viri cogitatio medium sibi dictionis filum intercidere: sic ego quoad differuero pro hujus loci ratione, vos aliquantisper vigilans somniabo absentes, ne, qui omnem de N. dictionem antevertitis cogitando, hanc meam tenuiorem, in mediis jam fluctibus fluitantem, obruatis penitùs; sed hôc ipsô punctulo temporis, tanquam divinâ virgulâ Endimion, incipio somniare: favete N. attendite, ego pergo.

CXLVI.

Annuitis. Novi vestrum ingenium. Consentitis. Laudo prudentiam. Sed quo major vestri ingenii prudentiæq;

lux

lux appareat, animum, ut facitis, advertite, usque dum hanc tam præclaram virtutem suis coloribus eleganter vobis collustravero.

CXLVII.

Attendite ergo, Auditores, nec occludite aures orationis meæ deliciis rusticè fateor, conditis, sed conditis tamen, ut hospitibus non omninò lautis placeat degustâsse.

CXLVIII.

Attendite, est res magna: attendite, est res vestra, ut attingat vitam non hanc fluentem punctulò, sed illam exuta aut certè subacta hac concretione, in judicii vel morte miseram, vel ita felicem, & perpetuò miseram, perpetuò felicem.

CXLIX.

Descendo ergo, Auditores, in hanc domesticæ disceptationis aream, non ut doctrinæ, quæ nulla est, colligam opinionem, sed ut meorum superiorum obsecutus imperio, periculum faciam mearum virium, quæ plurimum

mum acquirent roboris ac firmitatis, ad hæreticorum resecanda spineta, vel sementem dissipandam, sic hodie vos fuerint expertæ non tenuitatis suæ severos judices, sed conatus honesti benevolos suffragatores.

CL.

Quid igitur supereſt, nisi ut vos rogem, obtesterque, Juvenes, per ipsas, quas maxime colitis, venerandas & amabiles Musas per exoptatam à vobis Eloquentiæ pulchritudinem atque claritatem, per ipsius humanitatis splendidissimum & maximè suspiciendum nomen?

CLI.

Provincia, quam suscepi, Auditores, hoc in loco dicendi, sicut facile mecum animadvertitis, impar est humeris, cui nullo modo satisfacere possum, vestra tamen fretus benevolentia, humanitate & clementia, quam digna cum reverentia appello, quæro, desidero, rem aggrediar. Vos, quæso, & imbecillitatem animi ac tenuitatem ingenii agno-

gnoscatis, & erranti, hallucinanti ac balbutienti agnoscatis.

CLII.

A vobis, Auditores, majorem in modum peto, ut neque Eloquentia satis ad perorandum instructum, neque usum admodum confirmatum favore & studio vestro sublevetis. Nam utroque mihi maxime opus esse animadverto, præsertim verba facienti in hac congregatione Virorum pietatis, sapientiæ, doctrinæ ac virtutis laude ornatissimorum, & corona Juventutis literatæ, ad quam, nil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, & referrum maximorum rerum notitia, afferri oportet. Atq; de hoc cum nihil vobis polliceri habeam, præter voluntatis & conatus studiosam contentionem, de illo bene me sperare jubet mirifica vestra æquanimitas, cum aliis cognita, tum mihi ipsi hoc in suggestu olim differenti perspecta.

CLIII.

Vos, Auditores omnium ordinum spe-

ſpectatiſſimi, quos omnes non ſine ſinguluri ſympathiâ in hôc meô luctu video modeſtè hic adeſſe, ferte quæſo, pro innatâ benignitate, ſimpliciſſimam dictionem, verba fulgaria, ſtylum quotidianum, conſiderate ſortis meæ, quæ enumeravi, mille incommoda. Solam materiam, de qua apud vos hac horâ dicere conſtitui, adamate, obſervate, conſervate. Ego tædium, ſi quod conceperitis, juſtâ brevitate lenire quàm diligentiſſimè ſtudebo.

CLIV.

Et ſi autem metuo, ne, cui propter inveteratam conſvetudinem tacere non licuit, eundem loqui non deceat, tenuitatis ſuæ pauperis acerræ ſatis ſuperq; ſibi conſcium, & ad iſtiusmodi ſolennes actiones rarò, quin imò nunquam ante hac provectum: tamen divinâ clementiâ veſtraq; fretus benevolentiâ, quibus metu perculſum & aliquando ceſpitantem erectum iri confido, dicere tentabo, quæ felici huic fauſtæque (quam à DEO precor) inau-

inaugurationi non incommodè sese conjungant.

CLV.

Vos vacuas facite sedes vestrarum aurium, quò mea commigrare possint eloquia.

CLVI.

Sed jam ad rem me accingam: vestrum erit, ad ea, quæ dicam, animum advertere, &, an rectè dicam, pernoscere.

CLVII.

Eloquar an sileam? utriusque causas mihi habere videor sat multas, illasque sat graves. Illius quidem consvetudinem, addo & mandatum superiorum. Istius verò, meam dicentis tenuitatem, & rei, de qua dicturus sum, majestatem, qua quidem usque adeò me premi sentio, ut nullus sciam, quid priori, quid posteriori loco commemorare debeam. Audebo tamen aliquid fretus vestrâ benevolentiâ, cujus zephyro ut me sublevetis, oro.

CLVIII.

CLVIII.

Majorem in modum vos, Auditores omnium ordinum præstantissimi, rogatos volo, ut, quod imbellicitati meæ, orationisque tenuitati deerit, humanitate & benevolentiâ vestrâ supplere, & potius meæ erga Rectoris imperium obedientiæ benignos æstimatores, quàm infirmæ facultatis censores ac judices præbere vos velitis.

CLIX.

Nec dubito, quin vos, Auditores, infantiam meam parendi studio contegi velarique facilè passuri sitis, & exigui tempotis spatiolum benignè indulturi: quod tamen uti faciatis, maximo à vobis opere peto & contendo

CLX,

Quod pro virili exequi conabor, vestra, Auditores fretus benevolentia & æquanimitate, quam non tam quia necesse videatur, quàm quia more dicentium receptum est, huic tali instituto meo vehementer exoro,

CLXI.

CLXI.

Quamobrem spero, atque, ut jubet me vester conspectus, etiam confido, me benigne attenteque à vobis auditum iri.

CLXII.

Hoc dum exequor, præstate mihi audientiam, vos quotquot hic adestis, & faventiam.

CLXIII.

Etsi nihil quicquam egregium, vestrisque auribus dignum in medium afferre queam: conatus tamen meus cum observantia atque obediendi studio conjunctus, gratiam atque exigui temporis attentionem à vobis, ut spes est, haud difficulter impetrabit.

CLXII.

Vos oro atque obtestor, ut me hac in parte pro vestro patientia benignè sublevetis, meque pauca de vestris in hanc adolescentiam promeritis ad scholasticos hosce verba facere patiamini: non enim vos, immodica orationis longitudine detinebo: sed operam

ram dabo, ut paucis utrumque intelligant adolescentes, cum quanta à vobis accipiant beneficia quotidiè, tum quanta ab illis requiratur erga vos observantia, meritorumq; grata memoria.

CLXV.

Illustrissimum illum Alexandrum, orbis terrarum invictissimum Monarcham, ab Apelle tantùm se pingi, à Lysippô fingi voluisse ferunt, hôc nimirum consiliô, ne à vulgaribus & obsoletis operibus non tam illustrata, quàm obscurata illius videretur dignitas. Vos igitur (lectissimi Auditores) malè consulitis, tam divinæ veritatis sublimitati, si à me, lutulentis barbariei fecibus inquinatam, sordescere patiemini, cùm oratio mea nec lacertis potest contendere, qvod autoritate nihil valeat, nec illecebris delinire, quod careat lepore, nec aculeis commovere, quod judicii maturitate deseratur. Quare qvùm singularem ejus excellentiam satis illuminatè decorare nequeam, faciam ut Timanthes ille pictor, in im-

immolandâ Iphigeniâ, qui caput Agamemnoni obvolvendum putavit, quòd immensam sui mœroris acerbitatem penicillo non potuit obumbrare, pariter ego hujus rei magnificentiam, quam vix cogitandô consequi valeam, silentii mantili involvendam relinquo, &c.

CLXVI.

Theseum ferunt, Ariadnes ope, impenitissimos irremeabilis alioqui Labyrinthi recessus olim ingressum, inde etiam exiisse feliciter. Ego patiter facilè intelligo, me non nisi vestræ aura & favoniô benevolentiæ seu Ariadnæo filô fretum posse amplissimum hunc dicendi Oceanum ingredi, me non nisi vestræ patientiæ velis adjutum posse in eô progredi, nec inde egredi, nisi in vestrâ æquanimitate proram puppimque collocem. Adeste igitur, (candidissimi Auditores) meque benevolô patientiæ vestræ impulsu juvato, dirigite, ut portum aliquando tandem ap-

appellere mihi liceat, implicatas invidiæ Syrtes prætervecto, &c.

CLXVII.

Hæ aræ, vos Apollinares Semidei, quibus primitiarum noſtrarum ſpem viciſſim litamus; nobis enim ſingulis redit, ut agricolis, labor actus in orbem, qui aliquid naribus tam divinis dignum thymiamatis elimatum arte, quodque auribus ſit harmonicum, videtur exigere. Ego autem omnium ineptiſſimus, qui tam ſacras, tam purgatas affaret aures. Veruntamen cum veſtro omnium ſuffragio calculiſque in hanc ſpartam miſſus ſim, vos quæſo, ut vires animosque mihi ſuppeditetis, ut meam hanc exornem provinciam: quod tanto ſecurius facturus ſum, tanto etiam alacrius, ſi inſtitutum iter meum regio favoris veſtri diplomate muniatis, cujus publica Majeſtate, (tanquam Mercurii caduceo) efferatas hoſtium Phalangas penetrare, aut præterire poſſim, qui abunde mihi videbor tectus adverſus adverſa omnia

mnia judicia, si mea non prorsus improbaveritis. Quare quod vultu mihi pollicemini, id audiendi facilitate comprobetis, quæso; ut mihi primas ancoras solventi benè velitis (quod est comitatis) & quæ dicentur, candidè interpretemini, quod est æquitatis.

CLXVIII.

Qvid verò Auditores, mihi adolescentulo, ingeniô minus quàm mediocri, eruditione perquam exiguâ, dicendi facultate nullâ prædito, animi esse putandum est? Verùm nullum mihi dubium est, quin, qua benevolentiâ & humanitate eos, qui ante me ex hôc locô verba fecerunt, audivistis, eâdem ex me audituri sitis. Tum & illnm dictum Menandri me reficit: Οὐκ ἔστι τόλμης ἐφόδιον μεῖζον βίῳ.

CLXIX.

Rem gravem & arduam humeris meis à me ipso impositam sentio: cùm & maximè invidiæ telis hæc dictio sit proposita: & periculosum sit de illis scribere, qui possunt proscribere: mul-

ti denique judicent, non pertinere hæc ad noſtrum ordinem, verùm nos his dicendis extra cancellos noſtros ruere. Sed cùm ea dicturus ſim, quæ ad laudem, quæ ad decus, quæ ad gloriam Virorum in clariſſimâ luce collocatorum pertineant: ſpes me fovet pulcherrima, fortè ut hujus audaciæ veniam facilè à bonis & candidis impetrem, id quod oro & rogo.

CLXX.

Quæ omnia cùm ita ſe habeant; Conſtitui & ego, cùm ordo denuò ad me devolutus ſit, de illâ Virtute, quam *graditudinem* appellant, agere, ejusque Encomium inſtituere, Veſtri muneris eſt, Auditores, quorum æquitas & benevolentia hôc locô perſæpè ſpectata eſt, ut me non aliqua ambitio, aut auræ popularis fumus, ſed Cl. Virorum judicium deduxit, leni ac patienti animô, ut alios ſoletis, audiatis.

CLXXI.

Vos, Auditores, facite, ne veſtrô mihi favore & attentione defuiſſe videamini.

CLXXII.

CLXXII.

Quod dum argumentis certis evinco, quæso quoniam omne mihi perfugium in vestrâ bonitate situm est, Auditores, ne ego, qui non quærendô, sed rogandô à vobis hoc impetrare gestio, operam vestram frustrà implorâsse videar.

CLXLIII.

Vestrâ tamen, Auditores, qua ergà alios ex hoc locô perorantes sæpiùs usi estis, humanitate estis & benevolentia fretus certissimâ, hasce non ingenii, sed exercitii, non ostentationis, sed consvetudinis partes in me lubens ac libens susceperim. Certis igitur argumentis ostendam: Eloquentiæ omninò esse studendum: Illorumq; cavillationes, qui contrarium asserunt, fortiter improbandas Ita ut quod per tenuem ingenii mei supellectilem ipsemet de hoc præclarô themate satis dignum excogitare non potero; aliundè mihi mutuò sumam. Quod dum facio, à vobis contendo, Auditores, fa-

cite, ut balbutientem in dicendô infantiam noſtram veſtrâ attentione, exigui temporis ſpatiô, benevolè ſublevari, experiundô cognoſcam.

CLXXIV.

Hic veſtra æquitas, veſter, Auditores, candor accedit, qui me potiùs dicere quàm tacere jubet. His igitur fretus, quòd felix & fauſtum ſit, in inſtitutô pergam, & quantum ſit, DEI pro nobis morientis beneficium, conabor non oſtendere, ſed delineare & adumbrare. Quod ut rectè fiat, fructuoſeq; Deum oro. Vos autem rogo, ut me humaniter audiatis.

CLXXV.

Sed quoniam materiæ propoſitæ præſtantiam oratione meâ aſſequi haud poſſum, à vobis, per communem noſtrorum ſtudiorum amicitiam, peto, ut non tam verba mea, quàm rei ipſius dignitatem & petitionis meæ æquitatem ſpectare velitis.

CLXXV.

Cui ab antiquis temporibus uſurpatæ

patæ consuetudini ut me accommodarem, constitui, quòd felix sit & faustum, de virtute quâdam, ex Temperantiâ, apud Vos, Auditores, non quidem dicere, sed loqui, neque adeò loqui sed fortè balbutire, A vobis Auditores, ut hanc meam Oratiunculam quam maximè benignis auribus accipiatis, vehementer peto atque contendo.

CLXXVII.

Dicam autem de aurea illa & nunquàm satis laudatâ Virtute de Veritate, quantumque ea bonum sit, oratione hac tenui & exili demonstrare conabor. Vos Auditores, ut pro solitâ vestrâ benevolentiâ ad exigui temporis momentum benignas mihi præbeatis aures, etiam atque etiam vehementer rogo.

Formulæ Libere Dicendi.

I.

RIngantur indignentur, quantum

volent, rumpantur invidiâ: certè veritas non est non dissimulanda.

II.

Si quid fortè dictum à me videbitur asperius, id ut in optimam partem accipiatis, vehementer oro.

III.

Ignoscite liberiùs loquenti.

IV.

Liceat mihi vestrâ veniâ liberè loqui.

V.

Æquis animis, si liberè verba fecero, accipiatis oro.

VI.

Quod pace dicam vestrâ.

VII.

Ut liberè dicam, quod sentio.

VIII.

Nec verò ista dico, quasi de animô & fide vestrâ dubitem.

IX.

Dicam jam confidentiùs, quoniam audeo quædam fretus vestrâ sapientiâ liberè confiteri.

X. Ta-

X.

Tametsi verior, ut in bonam partem accipiatis, dicam tamen quod res est, & dicam à te coactus: nimis acer es, ne quid durius dicam: omnia summô jure persequi vis.

XI.

Dubius sum hoc in locô, ne satis scio, num commemorare debeam facinus indignissimum: commemorabo tamen, impetratâ priùs veniâ.

XII.

Quod pace dicam vestrâ. Non divitiis corradendis invigilare, multi vestrûm faciunt; non Principibus studere; non cutem curare, sed virtutem ambabus, quod ajunt, ulnis amplexari nos decet. Redite itaque in viam regiam, qua jam, ehen! excidistis.

XIII.

Ut liberè dicam, quod sentio: sola virtus est colenda. Iterum dico, sola virtus est colenda. Non enim reformido divites in hôc cœtu Eucliones, quibus hoc absurdum videtur.

Formulæ Redeundi ad Rem.

I.

Sed ut è diverticulô in viam redeam, patet hinc &c.

II.

Sed ut unde digressi sumus, eò jam revertamur, negari non potest, quin, &c.

III.

Nunc ad N. nostra se reflectit Oratio.

IV.

Sed ut eò redeam, unde paulò antè profectus sum, &c.

V.

Quod qunoiam compertioribus argumentis præstare haud facilè est ambagibus ac diverticulis relictis de semitâ in viam me sistere approperabo, i. e. in rem præsentem venire pergam.

VI.

Sed ut ad propositum revertar.

VII.

Sed redeo ad id, unde aberravit oratio.

VIII.

VIII.

Sed quò dilabar? Revoco me ad id, quod propositum mihi est.

IX.

Sed ne longiùs ab ordine digrediar.

Formulæ transeundi ad propositionem, seu narrationem, quæ fit, exponendô statum quæstionis, vel sensum thematis.

I.

SEd ut, velis nubium remotis, & apertis ædium fenestris, fugantur tenebræ; faxim pariter & ego, ut intermissô dilucidæ expositionis sole, clariùs effulgeat veritatis radius, sensumque hujus sententiæ, ut non oculis solùm intueri, sed manibus etiam contrectare videamini.

II.

Venustissimam cujus sententiæ faciem (omni detractâ larvâ) ego in ejusmodi expositionis speculô intuendam nobis & osculandam exhibeo.

III.

Ut igitur planius dicam, quod sentit Orator, & propositi thematis veritatem aperiam; longiori orationis telâ, uberioriqúe interpretationis filô, in hunc sensum explicari potest.

IV.

Quæ verba, si ad vivum discutiamus, in hunc ferè sensum sonare videntur, & ad nullum præterea aliud collimare scopum, quàm &c.

V.

Cujus tamen egregii proverbii sphæra in hôc axe & cardine circumrotatur.

VI.

Et ne futuræ nostræ orationis navem inter erroris scopulos fluctuantem sine clavô, sine ancorâ, sine pyxide certôve scopô relinqueremus: quæstionis hujus sensum, & statum hunc esse cognoscetis, quod scilicet, &c.

VII.

Attamen ut difflatâ paleâ purissimum granum, flammis absumpta scoria obrizum,

rizum videamns splendidissimum, alis oratorem verbis hoc nobis insinuantem cogitemus.

VIII.

Veruntamen, ut hujus aureæ sententiæ intimiora penetralia ab altô pandam, apertioris paraphraseos clave reserando, scire vos velim &c.

IX.

Atq; ut sacros hos Apollinis fontes satius deguſtemus, ut has Minervæ pixides recludamus, sciendum est,&c.

X.

Sed non modo cortici nobis immorandum est, intimiorem verò hujus sententiæ sensum attendentibus, latentem eruere nucleum nequaquam erit injucundum. Perindè igitur sonat, ac si &c.

XI.

Cujus tàm tetri vitii turpitudinem ut inspiciatis, desidiæq; non tantùm vestigia, sed ipsa cubilia videre possitis, adeste, quæso, huc, meosque paulisper induatis oculos.

XII

XII.

Quod amotis siparis, sic se nobis intuendum præbet, & tanquam Colossea statua in mentis sese insinuat oculos

XIII.

Nec, quid in hac sententia duriusculè sonet video, cum in triviis jactetur compitalibus.

XIV.

In cujus rei intestina paulo penitius si scrutabimur, intimiores ejus eliciemus medullas, ut citra omnem controversiam diluceſcat, nullum unquam, &c.

XV.

Sed ut uno quasi intuitu veram istius rei imaginem videatis graphicè delineatam, ad hunc, cogitate, sensum Poëtam nostrum attendisse, neminem videlicet, &c.

XVI.

Cujus si accuratam ἀνατομὴν faciamus & veluti exossemus, τετραχηλισμένην & nuda illius nobis patefiet veritas,

tas, ut qui vel lippientibus inſpexerit oculis, dicat, magnum eſſe, &c.

XVII.

Quam ſi ego Protogenis coloribus potuiſſem delineare, ut quaſi ſtellis illuminata refulgeſcat, tali ſe vobis inſpiciendam daret habitu, &c.

XVIII.

Cujus tam egregiæ ſententiæ ut ex fundò expiſcer veritatem, genuiuum hunc ejusdem ſenſum ſine ullò verborum anfractu vobis propino ruminandum.

XIX.

Neve iſtius tam præclaræ ſententiæ ignorata veritas altiùs veſtris quorundam inſideat animis, arrigite aures veſtras, & altâ, quæ dixero, mente reponite. Vos enim jam (ecce) capio, ubi non ſecluſa aliqua tenetur aqua, ſed unde flumen controverſiæ univerſum ſuboritur.

XX.

Clariorem vultis ut accendam facem? Sic igitur accipitote Oratorem,

noſtrum ſenſiſſe, & ſi in vivis jam eſſet dicturum eſſe, &c.

XXI.

Sed quorſum tot verbis opus eſt? in his præſertim, quæ breviori orationis gyrô ſatis ſuperque complectendô ſumus: in hôc enim cardine controverſia hæc tota circumvolvitur, nempè, &c.

XXII.

Quæ, nec cuiquam dura aut auribus abſona videantur: hujusmodi breviter illuſtrare ſcholio non gravabor, & ampliori orationis ſupellectile adornare.

XXIII.

Quod quidem ſi rectâ mentis acie, & acutis judicii oculis rimari velimus, hanc nobis inſinuaret veritatem.

XXIV.

Cujus ſententiæ veritas, ut diſcuſſa nebula eluceſcat magis.

XXV.

Quod juculentum dictum quid ſibi velit, paucis delibantes, penitiſſimos ejus

ejus ſenſus eruamus, & hunc Democriti puteum (in cujus fundô latebat olim demerſa veritas) exantlemus.

XXVI.

Ad intricatum itaque hujus ſententiæ ſenſum enodandum, ut ipſis lippis & tonſoribus innoteſcat, omniumque undique infantiſſimis intelligatur, cognoſcendum eſt.

XXVII.

Sed ne diutiùs vitreum, quod ajunt, vas lambere videamur, pultem tandem attingamus, ut ſic fractâ teſtâ unionem reperiamus, ruptâque nuce latentem nucleum excorticemus.

XXVIII. Sed adhibeat oratio modum et redeat illuc unde deflexit lic. Tusc. V. 28.

Formulæ tranſeundi ad Diviſionem vel (ſi mavis) Partitionem.

SEd ne in immenſum pelagus verborumque flumen immergam calamum, hoſce tres ſpeciatim perſequemur ex hâc ſcaturigine oriundos rivulos.

II. At-

II.

Atqve cum in amplum dicendi campum mea jam ingrediatur oratio, ne, vel nimis auguſtô decurrat alveô; vel redundet, ut extra ripas diffluat, his ego objectis aggeribus eam coarctabo: primò, ſecundò, tertiò, &c.

III.

Sed unum hunc alveum in plures canaliculos diffundamus, & univerſum in ſequeturæ orationis flumen in tres (ſi placet) partes diſpertiamus, ut ſic inſtituta tandem pertexamus, ne noſtra tanquam in mille Mæandros deferatur Oratio.

IV.

Sed varii ex hac ſcaturigine rivuli, quos in hos diſtinctos alveos coarctabo: 1. 2. 3.

V.

Tripartita igitur erit totius rei diſtributio, ut ſit protenſum orationis meæ filum, ne, tanquam ad Mercurialem ſtatuam dirigens, longiùs, quàm debeam, prolabar,

VI. Cæ-

VI.

Cæterùm ne oblitus brevitatis, noſtra longius digrediatur oratio, ad hoc, velut communi centro omnes lineæ in futurô meæ declamationis circulô deducentur.

VII.

Et ne extra omnes noſtra oratio palos limitesque excurrat, ad hoc punctum ego delineabo omnia, extra cujus circumferentiam nelatum (quod ajunt) unguem exſpatiabor.

VIII.

Sed rivulum unum, aut alterum de tantô Oceanô deducem; plurimos autem ſiccô (quod ajunt) præteribo pede, quos omninô omnes infantiam meam exprimendô non eſſe, ingenuè fateor.

Formulæ adhibendæ, quando Moderator ab unâ in aliam opinionem tranſiturus eſt.

I.

VEſtras hucusque exercuiſtis aures

in

in alterâ duntaxat ventilandâ opinione, æquamq; hactenus videtis Simbellæ ſtateram illam veriſimili fultam ratione: manſvetis, quæſo, ut, quæ ſequtura eſt, hariatis auribus orationem.

II.

Sed alteram jam audite partem. Nam ut in cauſis forenſibus, qui coram judice ſiſtuntur. Actor videtur ſuperior, dum pro ſe loquatur reus: ſic vos forſan opponenti jam ſuffragamini. Sed non dubito, quin altrinſecùs ſtatim ſentiatis, cùm à meliori geniô ſuggeſtam audieritis opinionem.

III.

Et ita fortaſſis cum oratore hôc noſtrô ſenſiſtis hactenus: ſed oculos, quæſo, veſtros in aliam pauliſper lancis partem ut conjiciatis: & tùm certò ſcio, comperturos vos argumenta numerô plurâ, pondere graviora. Non enim hic videbitis &c. non hic comperietis, &c. non ſed &c. ſed &c.

IV. Sed

IV.

Sed si acutiori mentis oculô, omni remotô peristromate, rem ipsam propiùs intueri velitis, aliter forsan sentietis: nàm &c.

V.

Quod primâ quantumvis fronte verissimum videtur, alteram tamen si intus & in cute discutiatis opinionem, longè veriorem comperietis.

VI.

Sed satis jamdiu, idq́: cum summô (ut vereor) vestrarum aurium fastidiô, hoc saxum volvimus; aliam jam delibemus paucis opinionem; in qua verbis etsi intonuit postremus Orator, ardenti tamen solidæ confutationis fulmine adhuc non concussit, imò vix dum tetigit.

VII.

Sed quod Lotharius Cæsar in dicterii locô habuisse dicitur, Audi alteram partem: id ego jam &c. Nostis enim veterem legem. Atticam ὁ μοίος ἀμψοῖν ἀπρόσθαι. Audivistis hactenus, quid

quid dici posset de &c. jam autem firmiora longè comperietis argumenta, quæ &c.

VIII.

Ut igitur Cicero pro Muræna, contra Catonem verba faciens: At enim, inquit, te ad accusandum Respublica adduxit? &, credo quidem, Cato, te istô animô atque eâ opinione venisse; sed tu imprudentiâ laberis: Sic ego tibi; te enim credo veritatis amore istam tuam provinciam suscepisse, Sed falleris, neque enim &c.

IX.

Hac autem si viâ solum insisterem, aliamque insalutatam præterirem, viderer sanè injusto illi non dissimilis Juliano, qui de agro controverso inter Spartanos & Argivos judex de amicorum solummodò jure disputavit, justa autem aliorum argumenta illius aures non incurvarunt, amicis verò assignavit agros, aliis etsi debitissimos Erubescerem autem ego intemeratam adeò violare justitiam. Nos igitur, Auditores, non inminuimus. For-

Formulæ transeundi ad confirmationem per causam.

I.

QVam ut Achilleis reverà argumentis, & inconfutabili obsepi-
m ratione, cogitate, quæso, &c.

II.

Et primò, à causâ, hujus rei veritas confirmatur: quid enim non designat, quid non perpetrat avaritia?

III.

Causam me vultis ut indigitem? occurrunt plurimæ: perpendite apud vos, perpendite quæso.

IV.

Vultisne causam? En vobis manifestam.

V.

Quam luculentam sententiam, nervos æquè ac cutem, toros ac sanguinem habere comperietis, si &c.

VI.

Quod ut argumentis evincam necessariis, verum esse, sciatis velim.

VII.

VII.

Ratio in promptu est.

VIII.

Causas vultis? ecce has.

IX.

Videmus enim velut Apellis lineis graphicè depictam hujusce rei veritatem, cui enim vel tonsori, vel lippo, non sat innotescit?

X.

Quam nos sententiam ut nervosius paulò confirmemus.

XI.

Rationem petitis? en vobis.

XII

Rationem hujus si quis indagaverit; hanc non esse infimam fatebitur: inficiabitur, &c.

XIII.

Sed si hæc pensiculatius paulò ruminetis.

XIV.

Qui enim otiò torpuerint, vitam ducunt planè ingloriam.

XV.

XV.

Nonné quotidiana docet experientia?

XVI.

His quasi obiter prælibatis, huic verissimæ sententiæ, singulari quadam oppugnationis difficultate, arcem obsepire non erit difficile, si benè perpendamus.

XVII.

His alias possem, & plures, subnectere causas.

XVIII.

Longa esset injuria, si omnes rationes perstringerem, longæ nimis essent ambages, hoc ergo tempore solummodò

——— summa sequar fastigia rerum.

XIX.

Nec sanè injuria. Quid enim iniquius, aut impudentius cogitari aut fingi potest, quàm ignavos & fœdos homines, & ut unô verbô complectar, nequam niti majorum gloriâ atque famâ, quàm illi virtute, industriâ, constan-

stantiâ rebusq; strenuè gerendis adepti sunt? quorum vitam si cum eorum factis, quorum crebrò nomina usurpant, conferre velitis, vix credas ex talibus viris nasci tam immania tam tetra, tam exitialia portenta potuisse.

XX.

Nec sanè immeritò.

XXI.

Nec sanè mirum: si quidem &c.

XXII.

Et rectè quidem ac perquam ingeniosè, nam &c.

XXIII.

Nec sine causâ.

Formulæ transeundi ad confirmationem per Contrarium.

I.

ERegione verò.

II.

Ex oppositò autem, qui &c.

III.

At ex diametrò.

IV.

Econtrà verò.

V. Sed

V.

Sed ut contraria juxta se sita magis elucescant, conferamus paulisper, &c.

VI.

Nonné enim.

VII.

Contemplemini verò contrarium vitæ institutum, & quid aliud, quàm inopiam, videbitis? quod dedecus invenietis?

VIII.

Secùs longè contingit.

IX.

At verò pugnantia se cum frontibus obversis paulùm componite,

X.

At ex contrariô.

XI.

At ex adversô.

Formulæ transeundi ad confirmationem per similitudinem.

I.

SIcut enim.

II.

Nam veluti.

III.

Quemadmodum enim.

IV.

Non secùs ac.

Formulæ objiciendi.

I.

SEd antequam à mari hôc in aream diu optatam prosilio, audire mihi videor tacitos multorum susurros, qui musitant, me novas Philosophiæ merces nundinari, quorum paucis spargere voces, me permittite respondere, & ego labiis pessulum dabo, atque ora obturabo illicò.

II.

Obstrepunt hic nobis Momorum greges, & balatronum, profligati scilicet nebulones, qui sententiæ hujus claritatem, cùm non possint obfuscare, irridentur tamen, & subsannant.

III.

Sed quod fretum non continet Scyllas?

las? quis Ulysses non vidit Sirenes? quæ regio non parit Centauros? quænam adeò clara est veritas, ut suos non habeat adversarios? neque enim hic desunt Curiones & Aculeones, qui in ipsâ nive atramentum vident, & nobis oratinis flumen intercidentes agganniunt.

IV.

Sed latet hic angvis in herbâ, qui fibilis non solùm suis nos terrere, sed venenatô insuper aculeô pungere cupiens, tali objectionis cuspide nostram in calce orationem vulnerare aggreditur &c. At inquies.

V.

Non desunt tamen hic, qui bellum indicunt nobis internecinum, inflatâ obstrepentes tubâ, quorum bellici clangores resonant jam in auribus; qui nostram hanc veritatem suis arietibus hunc in modum quatere conantur, licèt nequeant quassare funditùs? in quibus si sangvinis gutta ulla paterni descendat, ut in hac arenâ pro unâ

Helenâ (qua potiri tantoperè cupiunt) digladiemur; me quidem in mille potiùs discerpi partes patiar, quàm &c.

VI.

Sed autem mihi vellit genius meus, & obstrepentes ait esse quorundam voces, qui solem meridie splendere vel negant, vel non vident; & ab inferis Cerberum extrahunt, qui trifauci gutture allatrare possit tam cœlestem veritatem, utcunque virulentô halitu necare nequeat. Sed dicat aliquis. Miretur autem aliquis. Quanquam verum esse etiam illud, quod Fabius monet, non diffiteor.

VII.

In secretas vestras uniuscujusque aures adversarium audio insusurrantem, quòd &c.

VIII.

Susurravit mihi nuper in aurem genius meus, mihi in hac re ogganire ganeones, (nescio quos) & terræ filios, qui suam in nos eructantes virulentiam, ajunt, &c.

IX. Bu-

IX.

Bubonizant hic nobis, vociferantur, imò verò grunniunt Epicuri de grege porci, qui viam ad Helicona, tanquam salebrosam, vellicant, & sic magnam vertiginem in Minervæ capite ciere studeant, ut impetum retundant studiorum tam laudabilem.

X.

Coxant (ranunculorum instar) rancidi nebulones ex tenebricosis ignorantiæ cavernis.

XI.

Sic autem contra nos insurgunt adversarii, nostræ assertioni contradicentes, nosque è vestigiô Horatii authoritate tanquam clavâ aliquâ Herculeâ conantur prosternere.

XII.

Subodoror hic, quid objecturi sint adversarii, perfrictæ frontis homunciones, quibus sangvinis in facie non hæret gutta,

XIII.

Sed ulcus video, quod latet altius, in

imis quorundam præcordiis, quod acutæ confutationis acum cùm pupugero, facilè, &c.

XIV.

Sed tacitos audio nescio quos susurros, & secretam gannit in aurem cohors adversa, qui armis & parmis, arte & marte nos adoriuntur: & ut crudeles Harpyjæ, cruentatis ungvibus, impiùs, quam ego jam propugno, veritatis faciem confertim involant.

XV.

Aliquem autem audio refragantem Criticum, qui (ceu malus aliquis genius à dorsô nobis & quasi humeris inhærens) umbris nos suis sub torvô aspectu exhibitis exanimare putat.

XVI.

At non desunt, qui ipsam hanc tam manifestam veritatem allatrare non verecundantur, & non modò ultra modum, sed ultra modestiam ad ravim usque contrà declamant, exclamant potiùs. Pauca igitur sunt dicenda ad horum pertinaciam retundendam.

dam; qui aliter nobis forsan insultarent intemperantiùs.

XVII.

Sed en araneas, quæ ex suavissimis floribus exugunt venenum, quæ telam & filum subtilioris objectionis texunt, ut ita simplicem veritatem tendiculis suis implicent.

XVIII.

Scio equidem incudem Minervæ subtilium objectionum malleolis multum hic contundi, nec enim desunt, qui non modo solùm, sed trimodio, imò ipso horreò maximas hac in re, nobis admetiuntur nugas.

XIX.

Insurgit hic animosè cataphracta adversæ partis cohors, & nudam hanc veritatem evaginatô objectionis adoritur gladiô; eamq; expansis signis in aciem lacessit.

XX.

Nec temperat se hic à nobis multorum intemperies, quorum voculas jam audio, morsiunculas præsentio,

sed morus ego, si horum morer morositatem, tametsi austeritate penè Stoicâ dejicere opinioni nostræ frontem conentur.

XXI.

Atqui nec dum res est expedita; nam hydræ veluti Lerneæ resumunt capita, & novô objectionis aculeô nos conantur vulnerare.

XXII.

Sed hic, foribus quasi ruptis, furentiùs in campum prosiliunt Antagonistæ, & quasi fulminis ictu nos è vestigiô perfundare satagunt.

XXIII.

Sed ut rosa non nascitur sine spinis: ut scoria cum aurô, palea cum granô succrescit: ita & hæc veritas suam habet spinam, scoriam, paleam; quæ eximi, exuri, excuti, & suum adversarium, qui confutari debet.

XXIV.

Sed, en, accinctus undique antagonista, pharetram telis refertissimam in hanc arenam portans, procedit, ut &c.

XXV.

XXV.

Cumque ego inopinus inciderem tandem in istas Syrtes, ubi natant Piratæ, qui sub ementitô veritatis vexillô nostram ad scopulos causam conantur allidere; ego unum in illos bombardicorum classicum globulorum emissurus sum, ut &c.

Formulæ Confutandi.

I.

SEd quorsum hæc recito? quorsum? ut scilicet clariùs effulgeat divinæ hujus veritatis Phœbus, & stultitia adversariorum innotescat magis, qui rixis inanibus intumescentes, lateribus Milonis, clamore Stentoris, æneâ fronte, ferreâ voce, plumbeâ mente, ligneis argumentis, contrariam sententiam non verentur adstruere.

II.

Quorum ego insaniam paucis ut configam & sanæ rationis quasi fulmine concutiam, non esse difficile scio; cum Synodô Philosophorum dudum convicti fuerint.

III.

O nebulones egregii! ubi frons vestra? ubi rationis usus? Vos omnes navibus simul impositos Anticyram mittemus, ut hausto veratro mente ipsi redeatis meliores.

IV.

Nondum hunc aliquantulum intricatum, non tamen Gordium existimo, ut opus sit vel Oedipo, qui dissolvat? vel Alexandro, qui discindat perplexos illius nexus. Cogitate enim &c.

V.

Sed cui non dictus Hylas? quis hanc non novit tritissimam cavillam, & litem, quæ omnia ferè fatigavit tribunalia? Charior tamen nobis effulget Phœbus, quàm ut nebulæ istæ obstruant nobis veritatem.

VI.

Sed Mithridaticam hanc, si placet, antidotum contra venenatas hasce pestiferi erroris tabes sumite.

VII.

Istarum aranearum stamina vel tenuis-

nuissimus sanæ rationis halitus difflabit facilè; & meridianô sole micantiorem agnoscent hanc veritatem lemæ, vel quod ajunt, Saturniæ.

VIII.

Video jam, ex parvulô ovô Crocodilum nasciturum; ex minimâ oblatâ ansâ adversæ opinionis Patronos in nudam veritatis faciem velle ferociùs involare: quorum animis altiùs defixi furores cùm deferbuerint, non vereor, quin, &c.

IX.

Sed ut verecundam veritatis faciem à cerussatâ meretriciæ fraudis fronte distingvatis; sciendum est &c.

X.

In quos Aristophanis illud retorquere hic possim, cùm ex merâ pervicaciâ huic refragantur veritati, ajentes: Ἡμᾶς οὐ πείσεις, οὐδὲ ἂν πείσεις, καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

XI.

Adeóne verò? omnem omninò exuerunt hominis frontem? huccine re-

rum venimus, ut in hac temporum canitie, in hôc literarum meridie adeò cœcutirent plurimi? ſcuticis meherculè digni ſunt, qui inventis frugibus, glandes arrodere malunt, & in teterrimô errore contabeſcere, quàm &c.

XII.

Cæterùm iſthæc tuæ Sybyllæ folia unô rationis ſtatu diſſipabo. Num exſpectas, dum te ſtimulis fodiam? noſtra te, ſi ullam ſenſus partem habeas, lacerabit & cruentabit oratio: pudet me ſanè malitiæ tuæ; ſed inſcitiæ tuæ miſeret magis; hoc autem à te ſcire nimium velim, num &c. perfrica frontem, & aude negare.

XIII.

Sed ut ex hôc Labyrinthô evadamus, Ariadneô hic non opus eſt filô; iſtorum enim importunitati ſatis factum iri putabo, ſi &c.

XIV.

Qui quamvis tot & tales teterrimi erroris angves, & venenoſas ex nigrô malitiæ gutture evomant, aſpides, illas tamen

tamen ego (ut infans olim in cunis Hercules) uno solidæ responsionis arctiori compressu enecabo portinùs.

XV.

Sed ex horum vilcô & lutô nos facilè emergemus, ipsosque propriis constrictos laqueis dabimus; ut liquidò constet fastidiosa & proterva minis eorum iusultatio.

XVI.

Quorum ego tam insolentem petulantiam paucis retundens, faciam, ut quasi limacis cornua intus retrahant, quem prætendunt, aculeum.

XVII.

Istos autem ego Scarabæorum fucos dispellam facilè: plumbea Adversariorum tela hastasque junceas, tutus sustinabo.

XVIII

Sed has ego objectionum fibras stirpitùs evellam, ut non repullulent, fores extingvam, ne reviviscant. Nam turpe puto, (ut olim Phaëton) in veritatem hæc & dici potuisse, & non po-

tuisse refelli: dic igitur, mi Antagonista, dic, (inquam) qua Tisiphone, quibus exagitare colubris, ut &c.

XIX.

Cramben hanc, non bis sed millies recoctam, ne Polyphemi quidem stomachus ferre potest: nolim igitur ego vestrarum aurium reverentiam hisce crepundiis infestare, quæ Philosophorum Synodus ne per somnium unquam noverit. Sed latrent adversarii, fremant otiosi, rideant malevoli; at vincet veritas; ut palma, quò magis deprimitur, eò magis renititur, eò crescit uberiùs, quò premitur insolentiùs, obscurant sæpè solem caligines, sed dissipantur; franguntur rami aurei proserpinæ, sed renascuntur; veritas premi potest, opprimi non potest.

XX.

Sed ne solis quidem lumen cæco jucundum est, saluberrima pharmaca ab imperitis conculcantur, pretiosissimæ gemmæ ab Æsopicis gallis negliguntur: sed si vos rectâ judicii statera, &

non

non inanium opinionum trutinâ rem ponderitis, nihil esse, cui eruditio meritissimè non præferatur, & clarè videbitis, & candidè fatebimini. Submittas itaque arma & insignia ista tua jactabundè explicata: cur ego te porrò percussum, jacentemq; repetam? tibi enim ingratiis palmam obtinebit doctrina, rumpantur ut illa Codro: triumphabit veritas.

XXI.

Hæc qui rectè perpenderit, cœcus sit, si non videat, ferreus, si non assentiat, si non permovetur & mollescit: saxeum eum esse, aut hominem ex homine exuisse judico. Malevolos igitur, & pertinaces homunculos, qui veritatem non agnoscent. Quibus betæ putidissimi erroris sapiunt, ego, ut ingenuè fatear, (quod Alyatten illum facere jubebat olim Bias) cepas quoq; edere jubeo.

XXII.

Nemo igitur sit, in quo vel minima est sanæ mentis mica, qui explodenda hæc

hæc fanaticorum somnia & deliramenta non contemnat, has nugas non fastidiat, quas inter sua pocula effrontes nebulones temulentô animô exhalant, talia nobis argumenta vomentes,

Qvalia credibile est rictu ructasse trifauci
Cerberon. & Stygii monstra tremenda lacus.

XXIII.

Stulti potiùs hæc, quàm politici vox nominanda, & qui meram Epicureorum vitam introduceret. Quis enim unquam dixit: Fatum merum solumq; agere? Idcircò manus à clavô non removenda, sed remi potiùs in hâc cimbâ, Deô Nauclerô annuente, tractandi, siquidem Dii sua laboribus vendunt, industriis adsunt, & iis auxilia sua impertiunt, qui vigilandô, agendô & laborandô illa enixa exposcunt.

Formulæ trahendi adversarios in contemtum & odium.

Ex-

I.

EXploserunt jam pridem seniores & saniores Philosophorum paradoxiloqvum istum Anaxagoram, qui nivem esse nigram, qui solem candentem dixerit laminam: sed en! etiam jam virum, qui

Candida de nigris, & de candentibus atra

dicere non veretur: qui adversus solem (quod ajunt) loquitur, & insanâ stribligine, & suâ (qua tantùm pollet, sartagine loquendi, aures vestras captivas ambit, demulcendô abducere. Cujus oratio (ut audivistis) calamistris meretriciis inusta, fluentibus unguentis delibuta, pigmentis Rhetoricis effœminata, non incorruptô sangvine, sed adscititiô colore; non naturali succô, sed accersitô fucô, fallaciter enitescit. Sed hædera ista, quam in Orationis suæ vestibulô & fronte suspensam habet, vinum intûs haud vendibile indicat.

II.

Fortissimi profectò Ajaces, magnanimi

nimi Hercules, feroces Gigantes, qui cœlum oppugnare malint, quàm veritatem agnoſcere, lingvatenùs docti, holoſericâ ſpectabiles præfatiunculâ, cincinnis oratoriis comti, qui ſi raſtris ad roſtra (cum malis Diis) tranſcenderint, vacuum plus nimiô verticem inter aſtra illicò condiderint, non obſtante; &c.

III.

Qui præſtigiis ſuis oratoriis, ex Arabiâ felice per Arabiam deſertam in Arabiam Petræam ſuos ſeducunt auditores, qui circumlinentes ſua labra amoris nectare os tametſi roſeum, mentem tamen ſpineam habent.

IV.

Sed ego magnidicas iſtas Antagoniſtæ jactationes nihil eſſe aliud puſo, quàm larvam, qua patientiâ cauſæ tuæ ulcera tegeret: qua vos ludos faceret, & tanquam præſtigiis effaſcinaret: cujus veſtigia greſſusq; ſingulos oculatius paulum obſervandô, ſinuoſas fraudes & anfractus leporum depre-

deprehendetis: sed ejus à tergô vestigiis inhærebimus, tantisper dum superbientis animi cristam deposuerit.

V.

At tu in siccô es, & aqua tibi hæret, qua (ne in siccô essem) conatus es me inundare.

VI.

Effœminatum istud, & gracile dicendi genus, (ubi nihil virile, sed omnia muliebria comta, fucata,) utcunque auditores nimis delicatos svavitate loquendi illiquefactos titillare possit; cùm tamen nervis & viribus destituatur: spero vos, æquitatis & æquanimitatis præmunitos antidodô, Ulysseum Moly arripuisse, nec blandientes Sirenii Oratoris incantationes audiisse, sed veritatis concentum & harmoniam usque adeò expectâsse, ut, quàm prius audieritis absurda, sonet vitium percussa discrepans opinio.

VII.

Sed hæc hominem, à pudore non reli-

relictum, in ruborem dare possunt.

VIII.

In me quidvis harum rerum conveniat, quæ dicuntur in stultum; caudex, stipes, asinus, plumbeus: in illum nihil potest; nam exuperat ejus imprudentia hæc omnia. Sed detur mihi, (Antagonistami) detur mihi (cum pace tuâ) paulisper animi tui pulsare fores; anné adeò præfractarius videbere, & perfrictæ frontis, ut παῤῥησιάζῃ hæc mordicùs tueri velis? Quid? an tu ex Jove & Minervâ natus plus omnibus sapies? an in te solum omnes resederunt Musæ? putas te ipsum Apollinem, & pro Apolline ab aliis vis agnosci? omnesq; Philosophos præ te insaniisse? lumina scientiarum (te jam ortô, quasi novô sidere) occasum & eclipsin pati putabimus? Sed periculum est, Auditores, periculosum est, Apollinis & Musarum vehiculum tot jam sæculis sapienter gubernatum temerario huic Phaetonthi concedere.

IX. In

IX.

In publicô hôc & tam frequenti theatrô, quis præco amovebit aſperos hoſce & auſteros Xenocrates, qui Gratiis non litârunt, quibus (ut olim Plato) θυσαι ταῖς χάρισι oceinamus? adſunt enim, vereor, imò jam video) Tuberones, qui in Ligariis reprehenderunt id ipſum, quod in ſe ipſis probant, & ſibi, tanquam Mævii, condonant vitia, in aliis verò virtutes improbant, &c.

X.

Quis Myſta à Muſarum ſacris arcebit profanum hoc hominum vulgus juxta & arrogans, qui gloriæ aurâ turgeſcentes in ipsâ nive videbunt atramentum, ut olim Anaxagoras; qui nodum in ſcirpô quærunt, ut Chremes Terentianus? Homines nequam, terræ filii, qui novam inſtruunt Gigantomachiam, & Pelion jam iterum Oſſæ certant imponere, veritatem, quam intelligi nolunt, inſanâ ſuâ ſtribligine obfuſcantes, & larvâ obducentes, qui diem (ut glis) oderunt, & tædarum lucem

cem ut adulterini mercatorum panni) quam omnia maluerunt: Res omnes obscuravit Adversarius, ut vel Apolline lectore, vel Oedipô interprete indigere videatur: Agit Agamemnonem, sed est Thersites.

XI.

An verò (judices) vos soli ignoratis? Vos hospites in hac causâ versamini? Vestræ peregrinantur aures, neque in hôc pervagatô omnium ferè sermone versantur, ut non sciatis, quas ille fallacias nobis, vobis, veritati ipsi impositurus sit? Cogitate quæso, quas ille aranearum telas contexuit, ut simplicem veritatem, ut credulos auditorum animos illaquearet, perinde ac si subtilissimâ suâ vafritie opera Myrmecidis imitaretur, cujus quadrigam & aurigam muscâ texit alis; aut formicas Callicratis, quarum pedes & membra pervideri non possent; aut Apellis tabulam: quæ continebat lineas visum fugientes, aut denique catenam Vulcani, quæ sub intuenti-

entium oculorum aciem non cadebat.

XII.

Cavendum est, ne dulce venenum sub his fucatæ eloquentiæ foliis delitescat: Arrigite vos igitur aures, mentesq; vestras totas excutite, ut sensus vester omnis, suo stipatus satellitio non hallucinetur. Patiamini me igitur, patiamini quæso, tantisper dum argumentorum meorum summam audieritis: non enim diffido, quin, expositâ re, positoque præjudicio, in meam inituri sitis sententiam. Haustum lactis gallinacei promittentes opium miscent, priusquam apium cognoverint.

XIII.

Mirum est, hæc ipsa subsellia, hos parietes illum talia dicentem sine rubore potuisse ferre: Mirum est, (Auditores, mansvetudinem vestram illum tam diu, tam patienter audiisse, & non explosisse potius tam importunum nugivendulum: Sed si eâ vos estis in fucatis audiendis, fictisq; quisquiliis, pa-

patientiâ, quã non ſperem ego in Vobis æquanimitatem? Veſtra enim jam agitur res: vos eſtis ſoli, quos alma veritas habet, patroni. Veſtrûm eſt, (auditores) veſtrûm eſt, oppugnatum tam divinæ Deæ delubrum non permittere, ut penitùs expugnetur. Vivat igitur veritas ſub alis & umbrâ veſtri favoris, tanquam ſub ſeptemplici Ajacis clypeô. Si vos autem nos deſeritis, perimus, ego, & quam defendo, veritas, in cujus amplexibus moriens hæſurus ſum; nam ego longè malim in bonâ causâ (ut olim Epaminondas) ſolus ſapere, quàm cum multis aliis inſanire; non poſſem enim non venerari veritatem, ubicunque eam videro, quanquam ſimplici habitu, & derelictam.

XIV.

Ego enim, tanquam ex chalybe forem, veritas autem merè magnes, ita, allicioréque dicam, an trahor rapiorque ad ejus patrocinium, ut non poſſim me continere, quò minùs in te involem,

lem, Antagonista, qui præstigiis tuis oratoriis fascinare nos conatus es. Sed cave, ne insanis opinionis tuæ fluctibus velut alter Narcissus submergar: fallit enim te tuus iniqvus genius, si &c.

XV.

In hac spartâ propugnandâ, animus arma sumpsit splendidiora auro, operosa magis, quàm strenuus unquam induit Achilles; stricto manus ferro tremit, munitum galeâ caput, corpus totum nunquam non ære resplendebit, tubarum clangor implebit cœlum, campos pavor ipsos invadet. Ingruentibus undiq; argumentorum nostrorum copiis me equidem in mille discerpi partes malim, quàm remittere animum in hac provinciâ, quam (cùm sit levicula & palæstrica) eò libentius aggressus sum, ut (si fata sic volent) in cimbâ potiùs duorum scalmorum, quàm in Argonautarum navi jacturam facerem.

XVI.

Fuisse olim ajunt, & jam superesse, vereor, qui ostentandi ingenii gratiâ,

elephantē aliquandò ex muſca faciunt. Ariſtomachus Solenſis ſexaginta annos in publicum ſaltibus, & muſcarum naturâ indagandâ conſumſit. Homerus Batrachomyomachiam; Maro pulicem. Multi ſe vitium non vitiosè commendaturos autumant. Hinc quidam Anglus morbum Gallicum commendavit, & Richardum, tertium Angliæ Regem. Et quantum boni ſit ære obſtringi alienô. Alter quidam laudavit Nihil. Hinc Iſocrates in laudem Helenæ, quam tunc temporis orbis terrarum univerſus pro ludibriô & opprobriô habuit, orationem fecit laudatoriam. Laudavit etiam Phavorinus turpem Therſiten, & malignam febrim; Polycrates Tyrannum Buſiridem; Lucianus artem paraſiticam; Syneſius calvitiem; Eraſmus ſtultitiam; Carneades injuſtitiam; Agrippa in vanitatem ſcientiarum declamavit, ut ſuam inde prodat ſcientiam, oſtentet eloquentiam, quam totus eâ de re miretur mundus.

For-

Formulæ præoccupandi.

I. Dicat aliquis.
II. Quærat aliquis.
III. Miretur aliquis.
IV. Cogitet aliquis.
V. Objiciat aliquis.
VI. Quæret quispiam.
VII. Dices.
VIII. Quæres à nobis.
IX. At inquis.

Formulæ respondendi.

I. AT inquam ego
II. Respondeo hunc in modum.
III. Huic talem comparatam volo responsionem.
IV. Difficile est, hoc affirmare de omnibus.
V. Respondebo.
VI. Hunc jubebo expendere illud pertritum.
VII. Hunc jubeo cerebrum helleborô purgare.
VIII. Quia.
IX. Sed habeo, quòd respondeam.

X. Sed velim te hic expendere.

Formulæ proponendi exempla.

I.

POssem ex omnium seculorum memoriâ, & ex quàm plurimis nationibus, hujuscé rei exempla repetere: verùm Helvetiorum illud cùm insignius & illustrius sit, ut reliqua omittam, præterire non possum. Quis enim nescit, nullam ob aliam causam, quàm, quòd impunè quidvis audendi licentiâ uterentur ii, qui supra plebejam conditionem eminebant, deletam in illis gentibus omnem esse ab eâ stirpe nobilitatem, jugumque magistratuum esse à cervice populi universi fortissimis armis repulsum? Quis N. conspirationes non novit? Quis N. supplicium non audivit? Quis cladem N. non exhorruit? Quis N. labores & infelices pugnas non legit? Atqui hæc omnia ab illâ egregiâ Geometricæ proportionis regulâ, & ab illis licentiosis privilegiis nobilitatis, tanquam à fonte omnium malorum, emanârunt.

II. Eth-

II.

Ethnica hæc sunt, ab Ethnicis discite, illorum exemplô judicia vestra informate: nec enim ex priscâ illâ ætate dicta & Verba tantùm, sed etiam exempla repeti quàm-plurima possunt. Quid enim Zaleucum illũ Locrensium Principem vobis producam? Cujus quidem vultum & gravitatem præclara ista Geometrica proportio sustinere quomodo poterit? Velim ex illô judice omnium justissimô quæratis, quid de hac totâ controversiâ sentiat, quid judicet. Adeste verò, Viri nobiles, adeste, sententiam ipsi cognoscite, aut, si severitatem tanti judicis, & vocem expaveścitis, saltem filium ejus, adolescentem unoculum interrogate, quas pœnas dederit, quibus legibus, aut quo judice lumen alterum amiserit, cujus delicti pœnam sustinuerit. O rem omnium seculorum memoriâ dignissimam! Tantam legum ullarum authoritatem, tantam judiciorum severitatem esse, ut neq; nobilissimus adole-

ſcens, cùm juventutis calore, & amoris intolerantiâ in alterius uxore lapſus eſſet, neque omnium meritiſſimi de Republicâ Patris filius juris ſeſe expedire laqueô, & oculos ſuos ab acerrimô ſuppliciorum aculeô liberare potuerit? Tantum juſtitiæ rigorem eſſe, ut dum alterum oculum filio eripi, alterum ſervari pater voluerit, ipſe in alterô ſuorum oculorum pœnam legis ſuſceperit.

III.

Sed ad propiora exempla veniamus: neque enim illa nimis antiqua his moribus placere animadverto. Nemini autem veſtrûm ignotum puto illud eſſe Poloniæ ſtatutum: quo quid humanius, quid nobilius, quid æquius ad normam Lesbiam fingi, aut excogitari poteſt? Quod verò illud? Audiamus quæsò dignum regnô tantô fundamentum.

IV.

Sed nec ejusdem prudentiæ & ſeveritatis exempla Germaniæ noſtræ deſunt.

sunt. Quid enim illi, qui N. sacrilega manu interemerant? Potueruntne inani nobilitatis velô & umbrâ, qua indigniſſimos ſe tantâ ſceleris atrocitate ipſi fecerant, adverſus evtrema ſupplicia, & carnifices rotas, contra fidiculas tormentaq; omnium exquiſitiſſima protegi?

V.

Sed foris exempla quid petam, quorum infinita copia domeſticis cùm non minùs abundemus? Nam quid aliud, Patrum noſtrorum ſuperiore memoriâ, in omnibus provinciis Germaniæ plebejos & agreſtes homines ad inſana iſta arma concitavit? quid aliud eos impulit, niſi illa non ſolùm in judiciis, ſed omnibus ferè communis vitæ rationibus uſurpata injuſtitia?

VI.

Sed ne in horum autoritatibus & ſententiis recenſendis infinitus ſim, & in iis tota noſtra conſumatur Oratio, aliò me convertam, & exemplis, quod velim, evincere conabor, & in iis qui-

dem non levioribus, minorisque momenti, sed multò gravioribus & ad institutum nostrum maximè facientibus. Ac ut initiò me ad Romanos conferam, aspicite mihi Marcum illum Scaurum, quem in populari dominatione nullâ aliâ ratione, quàm antiquæ nobilitatis favore, ab exitiò servatum esse, ex Romanorum historiis clarissimè constat.

VII.

Sed quid in his, quæ omnibus cognita sunt, diutiùs commoror? Quis nostrûm est, qui non ipse aliquoties exempla talia viderit? qui non meminerit? Ad Angliæ secures, tum nobili, tum regiò sangvine madefactas, non opus est, ut oculos vestros reducam, quia omnium Principum in hoc imperiò ea justitia, ea æquitas est, ut nemo in judiciis nobilis & illustris habeatur, nisi qui se ipsum nobilem integritate, virtute, & totius vitæ innocentiâ præstiterit.

VIII.

VIII.

Ne verò quicquam solummodò ea fatô Romanæ civitatis imputet, quid aliis etiam acciderit regnis & imperiis, cognoscite. In Siciliâ exarsisse quantas seditiones, traditum est? quoties in immanem furorem servorum erupit conspiratio? Eum exercitum & prælia cum Siculis dominis quis non ex veteribus annalibus percepit? Quoties heri in fugam conjecti & cæsi? Atticam regionem respicite: quibus populationibus illam vastatam, prædia dejecta, villes exustas, arces superatas, Sunium promontorium servili manu occupatum esse, intelligitis.

IX.

Horreo, exempla nefanda in memoriam revocare, & ostendere, quibus sceleribus novis & inusitatis sævitiam potestatis hærilis audacia servilis ulta sit. Nec verò orationi dies sufficeret, si, quæ propemodum infinita est, illarum rerum commemorationem suscipere velim. Vetera igitur prætereo, & unum

duntaxat ſuperioris ſeculi, ne quis fortaſſe ſervitutis malitiam antiquitate defeciſſe, ne quis elanguiſſe eam exiſtimet, exemplum proferam. Quid enim N. ſuô ævô contigiſſe ſcribit?

X.

Sed quid ad veterum ſtatuas, quid ad Antiquorum propemodum abolitas imagines, quid ad intermortua exempla aures veſtras revoco? Cur non potiùs in hæc viva ora ac vultus, quorum aſpectu & claritate perfruimur, oculos veſtros intendo? Cur non hôc digitô vobis ampliſſimos peregrinationis fructus in magnificô Virô N. qui, ut ſceptrum, ita facem omnium virtutum nobis præfert, oſtendo?

XI.

Verùm quid pluribus rem declarem? Græcos antiquos in exemplô ponamus, qui nunquam eò ſnpentiæ ac eruditionis, qua univerſam poſteà terram illuſtrârunt, perveniſſent, nunquam ad eam virtutis laudem dignitatisq; gloriam evecti fuiſſent, niſi per agra-

agratis omnibus ferè mundi partibus, incredibilem omnium rerum experientiam sibi comparâssent.

XII.

Plenæ exemplorum tristium omnes familiæ, omnes domus, agri & villæ. Quot præclarissimi Viri olim in urbe, miserrimè trucidati, in lectulis, in conclavibus, in intimis ædium suarum penetralibus, ad focos, ad aras, in ipsis lararíis & secessibus?

XIII.

Ne verò in re omnium clarissimâ exemplis plurimis vos detineam, ad experientiam quotidianam animos vestros revocatos velim, quæ infelices eas Resp. omnes ostendit, quæ moribus alienis subjici coguntur.

XIV.

Sed quare non potiùs eximias peregrinationis utilitates in Germanis nostris demonstro? Qui cum olim non procul à belluarum feritate abessent, cùm in paludibus & sylvis ferarum more vagarentur, & inveteratô quodam

dam odiô à literis abhorrerent, tantum tamen peregrinationibus suis profecerunt, ut omnibus populis superiores nunc esse videantur.

XV.

Sed ne in solô Laconicô exemplô orationis meæ firmitudinem positam existimetis, ipsi velim conjectis mecum oculis vestris in cuncta regna, & imperia animadvertatis, eas Respublicas, quarum cives domi sine exterorum commerciis, & consvetudinibus tranquillè vixerint. & diutiùs floruisse, & sine seditionibus, sine tumultibus, sine incendiis domesticis stetisse, corruisse verò illicò eas, quas peregrinatio tanquam pestis invaserit. Sybaritarum Rempublicam, quis vestrûm est, qui non audierit, summis deliciis ac voluptatibus floruisse?

XVI.

Nolim plura ejus rei exempla commemorare; rarum enim est, & quotidiana rerum magistra experientia ipsa loquitur, humanam naturam, ad quæ-

quævis vitia proclivem, eamque nisi legibus, tanquam frænis & catenis coerceas, in ferinam facilè transmutati.

XVII.

Intueamur, quem in omni vitâ intueri nos oportet, & ad cujus radium, converti debet omnis morum nostrorum habitus, non secùs, ac herbam solstitialem ad solem converti videmus; intueamur N. qui quantum, domesticâ diligentiâ ac industriâ eruditionis ac prudentiæ comparari possit, sempiternæ omnium hominum memoriæ ostendit.

XVIII.

At quibus aggeribus, quibus repagulis & opicibus hos fluctus, ne Reipublicæ carinam invadant; avertemus? Si, Auditores, ab Ethnicis discere nefas non est, antiqua Scythia suô exemplô, quid factô opus sit, dilucidè monet. Cùm enim Anacharsis, &c.

XIX.

Testis nobis est Flandria, Gallia, Anglia, testis Italia, patria ipsa testis

nunc inteſtinis, nunc vicinis bellis debilitata, exhauſta, & devaſtata Germania.

XX.

Ne verò hæc oratiuncula ex meô ſenſu deprompta ſolummodò videatur, exempla nonnulla, quibus tanquam vivis imaginibus, & graviſſimis monimentis, veritatem hujus aſtruam, Principumque ſtudia evincam, ſi attendere, ut cœpiſtis, perexeritis, in medium proferam. Sed unde ordiar? quos primô locô nominem? Utrum illos, quos in antiquis Mauſoleis, & vetuſtis marmoribus, quos in priſcis ſtatuis depictos, ſculptos & expreſſos videmus & admiramur? an potiùs illos, quos præſentes etiamnum intueamur, & in quorũ vultibus omnium noſtrûm oculos, tanquam in omnium virtutum ſpeculis & domiciliis habitare oportet? In hos opinor primò omnium intuitum noſtrum defigemus, quorum exempla multarum orationum & omni-

& omnium maximè graviſſimarum rationum inſtar eſſe debent. Quid enim? an putatis N tantum ſtudii, induſtriæ, laborisque à primis hucusque annis in literarum omnium divinarum humanarumque artium & facultatum ſcientiis colendis poſuiſſe, niſi &c.

XXI.

Quisquamné erit omnium veſtrûm, cui tot ex Germaniâ noſtrâ exempla nondum ſatisfaciant? Ipſe velim etiam illa antiqua evolvat ſecum, & à I. Cæſare incipiat, ejus analogiam Grammaticam cognoſcat, Tragœdias ejus perlegat, commentarios inſpiciat; Auguſtum Cæſarem non prætereat; Ælium Hadrianum non omittat; Antonium Imperatorem aliosq; ferè innumerabiles ex hiſtoriarum monumentis eruat. Sive in exteris regnis propiora noſtrô ævô exempla quærere malis, extera regna floruiſſe omnia principum literis, inſcitiâ verò & ruditate corruiſſe gubernatores, cognoſces. Stephanum

num suum prædicabit cum aliis Polonia, Franciscum suum ostendet cum aliis Gallia, Alphonsum cœlo efferet Arragonia, Elisabetham suam Heroibus omnibus, quotquot unquam vixerunt, anteferet Anglia.

XXII.

Ne tamen quispiam veterum exemplorum inopes nos esse existimet, aut bonas literas ab intiquis istis heroibus, à principibus, à regibus, à Cæsaribus fuisse desertas, mentione aliorum faciendâ supersedere non possum. Ex Germaniæ Diis illis majoribus Carolum illum magnum vobis producam, quem non unâ lingvâ locutum esse accepimus.

XXIII.

Pleni tristissimarum rerum nostri libri sunt, pleni fasti ac historiæ, pleni veterum rudcrum agri, plena direptionum vastitatumque antiquarum monimenta, quæ neque sine horrore neque sine maximô dolore etiam hodie aspici possunt.

XXIV. At-

XXIV.

Atque ut ea tantò clariùs intelligere possitis, quæ vobis commemoravi, rem ipsam exemplis quibusdam veterum Philosophorum illustrabimus, quò faciliùs & adversarii opinionem falsam, & verum esse judicium meum cognoscere possitis. Socrates, Atheniensis Philosophus, eminentissimus &c. Vultis jam, ut Diogenem illum Cynicum vobis producam? Fuit profectò is Philosophus celeberrimus &c. Sed quid vetustissimos illos Philosophos commemoro? Convertite vos ad hujus nostræ tempestatis egregios Philosophos: perpendite diligenter, quid ex Philosophiâ, quam in scholis profitentur, utilitatis hauriant, quos fructus, quas divitias colligant. XXV.

At infinita futura esset oratio, si singularum rerum vestigia persequi, veterumq; Imperatorum, Ducumque exempla ac testimonia adducere vellem, quibus arma consiliis longè cedere confirmarem. Tacebo itaque Cyrum,

rum, præteribo Alexandrum Macedonem, qui universum terrarum orbem perquam exiguis Macedonici exercitûs viribus instructus, consiliis verò munitissimus sibi subjecit. Unicum illum Alexandri æmulum Pyrrhum non silebo, qui se consiliarii sui Cyneæ monitu ac svadelâ plura oppida, plures ditiones & populos, expugnâsse & exsuperâsse, quàm formidabili Elephantorum agmine, quàm omnibus teiis & machinis, asseverabat.

XXVI.

Sed ne hanc solam tam eximiam prudentiam apud Romanos tantummodò floruisse existimetis, percurratis ipsi velim omnes aliarum gentium administrationes, rerumque gestarum monumenta evolvatis. Docent omnium ubique gentium exempla, docent vetera & recentiora secula, plus semper consiliô & ingeniô, quàm armis & viribus, tribuendum. Producam vobis Carthaginenses, rerum bellicarum peritissimos, qui de imperiô cum imperii

Do-

Dominâ, Româ, contendere ausi fuerunt. Quid verò illi? Adeò nihil in bellis sine consiliô geri volebant, ut Duces suos, etiamsi prosperâ fortunâ res suas administrâssent, cruci suffigerent, nisi præmissâ diligenri consultatione negotia sua perfeciissent.

XXVII.

Quid opus majore verborum contentione? Quid pluribus exemplis? quæ ut maximè nulla alia alibi sint, quæ innumera sunt, è sacrâ pagina magnô numerô peti possunt. Funda enim Davidis aliud torquet, quid ejaculatur, quid vibrat, quàm consilium?

XXVIII.

Sed ne tantummodò fabulis & obsoletis narrationibus velle videar sententiam hanc confirmare, ex Patrum nostrorum memoriâ domesticum exemplum, quò vix quicquam illustrius dari poterit, in medium afferam, ex quo clarissimè perspicietis, armis & studiis militaribus nihil magis ad felicitatem atque gloriam quàm citissimè con-

consequendam expedire, quàm Magni illius Macedonis exemplo, repudiatis aliorum omnium consiliis, res gerendas suscipere, susceptas celerrimè conficere.

XXIX.

Cujus rei præclarissimum exemplum in florentissimâ Venetorum Republicâ, quorum omnibus nationibus prudentiâ prælucere dicitur, nemini non obvium habetur. Quid verò illi, plus ne &c.

XXX.

Atque hoc unicum exemplum rei universæ comprobandæ sufficere possit, quo nihil ex Veterum monumentis illustrius, nihil sententiæ nostræ accommodatius habetur. Sed neque ex aliis imperiis & populis similia documenta desunt. Quid enim de Hannibalis castris dicemus? Plusne ibi consilium & deliberationes, quàm armorum vim & impetum, audaciamque valuisse putabimus? Minimè; at quis unquam hostium Romanis terribilior,

or, quis calamitosior Italiæ extitit...? Quid verò Quiritium tot hominum togatorum refertæ curiæ, quid consilia prudentum excogitârunt, quod unius Pœni ferocia militaris non infregerit? Illi consiliis, hic militibus; illi arte, hic arcu pugnabat, tam dissimili Martis eventu, ut omnis ferè Rei Romanæ fortuna ad extremam desperationem pervenerit.

XXXI.

Quòd ne more Oratorum potiùs, quàm verè dixisse me quispiam opinetur, exempla ejus rei memoriâ omnium digniſſimâ in illustrissimis duobus superioris ætatis Principibus proferam. Alphonsum, Siciliæ Regem, Regem omnium id seculi sapientissimum, cùm febriculâ laborantem lectulus teneret, lectione Curtii, gravissimi de rebus Alexandri M. historici, valetudinem, nullô aliô medicamentô adhibitô, recuperâsse, gravissimus autor restatur Panormitanus, qui librum eundem Regi, animi gratiâ, obtule-

tulerat, idq; posteà confirmâsse Siculum, atque in summâ admiratione & pretiô scriptorem habuisse legimus. Idem N. Principi ex svavitate historiæ feliciſſimè contigisse, testis est N.

XXXII.

Sed quid veteribus exemplis immoror? Carolum M. inter amorum strepitus, inter classica & æquorum fremitus, Poëticis studiis vacâsse, Carmina dictâsse, versus scripsisse, accepimus. Vivunt etiamnum ipsius lugubres næniæ, quibus Rolandi mortem prosecutus est.

XXXIII.

Possem, si opus sit, pluribus argumentis, divinos, aut, ut Ennius eos vocat, sanctos esse Poëtas, asserere, sed vereor, ne abutar vestrâ aurâ, quam modò mihi concessistis, & auribus. Unum verò hoc omittere non possum, quòd Poëtas Deorum filios esse evidentissimè demonstrabit, cùm Deorum singularem protectionem, curam & amorem erga se ipsi percipiant, adeò, ut immi-

imminentibus periculis sæpenumerò alii sint erepti, alii ex mediis fluctibus non sine miraculô liberati, alii ex præsentibus casibus manu ipsius Dei extracti. Quid enim Simonidi Poëtæ accidit? Hic cùm apud hospitem suum in Thessaliâ cum multis aliis convivaretur. Deorum monitu solus triclinii ruinam effugit. Arionis autem discrimen omnibus notum est, qui cum partis studiô suô pecuniis Corinthum navigâsset, & à navicularis spoliatus, & in mare præcipitatus esset, à Delphinô (Dei auriga fuit) exceptus & conservatus est.

XXXIV.

Ut autem alios prætéream, Carolum Quartum, qua laude supra Pegasum ipsum, qui inter sidera volare cernitur, extollam? Hic enim est ille, hic est, qui cùm jacere hæc studia tenebris & barbarie Gothicâ oppressâ, animadverteret, nullâ re aliâ inflammari, & in novum vigorem reduci artes posse, intellexit, quàm si præmia & honores ipsarum

rum cultoribus constituerentur. *Artes* enim, ut cum illô exclamen, *honos alit, honos propagat, omnesq; accenduntur præmiis.*

XXXV.

Notissimum nobis ex hac illustri provinciâ exemplum domesticum Principis N. qui quòd adolescentia ipsius, tutorum culpâ neglecta in literarum cultu esset, ad supremum usque diem dolúisse dicitur, etsi eô naturali acumine, sagacitate ingenii, sensusq; communis acrimoniâ esset, ut omnes ferè prudentiâ id ætatis Reges & Principes anteiret.

XXXVI.

Numerare vobis vel sexcentos possem, qui & Æsculapiô & Musis eâdem operâ inservierint. Melampodem primum nominabo Poëtam & Medicum vetustissimum, qui multa versuum de Saturnô, de raptu Proserpinæ, de luctu Cereris conscripsit. Eò autem ille gratior medicæ familiæ est, quò pretiosiorem medendi artem reddidit.

dit. Non enim ille minas, non talenta, sed maxima regna à regibus pro valetudine restitutâ popoſcit & obtinuit. Non omittam Aratum, non Alcæum, non Democritum, non Æmilium, &c. præteribo, non Fannium, non Ausonium, pluresq; alios, qui utramque Apollinis artem magnâ cum laude pertractarunt.

XXXVII.

Præteream nova illa lumina, Budæum, Turnebum &c. præteream illos, quos hodiè in cancellis Imperatoriis, in curiis Electorum, in conciliis Principum à Musis laurô coronatos video.

XXXVIII.

Divus Hieronymus esto exemplar colendi id genus studii. Hunc ob oculos pone, hunc imitare. Is patefecit viam ad Hebræorum adyta, dignus profectò, non dicam, qui in Olympiâ aureus stet, & Argivum gestet Clypeum, sed quem cunctæ scholæ ceu patrem suum terant. Aquila is in nubibus est, &

talis, ut plures habeat, quid invideant, quàm qui ipsum exæquent.

XXXIX.

Et profectò ad egregium hoc & laudabile studium, nisi fallor, optimus & modestissimus quisq; trahitur à naturâ ipsâ. Cui argumentum, quod non facilè voluptatem aliam dixeris, in quam ab omni ævô tam cupidè consenserint selecti inter gentes Sacras literas lustras? Videbis unà cum orbe natô natos hortos, &c. Profanas? Ecce Adonidis & Alcinoi & Tantali & Hesperidum hortos proverbia & faculæ loqvuntur? Et in veris certisque historiis reperies, Cyri Regis manu plantariâ institutas, & Semiramidis aërios pensilesque flores, &c.

XL.

Jam inter priscos Græcos Romanosque, quot illustria capita tibi proferam, qui positis aliis curis, soli in hac curâ? In illis quidem unô verbô plerosque Philosophos & sapientes, qui remoti ab insanô forô, & urbe, horto-

rum

rum se spatiis, sepibusque clausérunt. At in istis Tarquinium Regem video, jam tum prisca illa Roma in hortis molliter ambulantem, & papaverum capita resecantem. Catonem Censorium agnosco in re hortensi deditum. Lucullum, post Asiaticas victorias in iisdem otiantem: Syllam abjectâ dicturâ svaviter hic senescentem, & Diecletianum Principem, olera sua & lactucas ad Salonam, purpuræ & omnibus sceptris præferentem. Nec abivit ab hôc meliorem judiciô vulgus, in quo ipsô simplices omnes, & sine malâ ambitione animos, scio fuisse in hôc cultu.

XLI.

Quot ut clariùs videas sub exemplis, non diffugiam mente & animô pauliſper peregrinari per magnum hoc universum.

LXII.

Nam ut illustrem, & sedem pauliſper in primô fine defigam, videmus, quotidiè optimos quosque, aut seor-

sim premi cladibus, aut iisdem involvi pariter cum malis. Videmus, & miramur, quia nec causam satis capimus, nec attendimus ad finem.

XLIII.

Cæsarem illum videte, superbum Victorem, opinione suâ, & aliorum jam Deum, in senatu & à Senatu interfectum, nec simplici morte, sed viginti tribus plagis confectum, instar feræ in sangvine suô volutantem, & (quid amplius vultis?) in Pompeji Curiâ, superstante Pompeji statuâ, magnam victimam Magni manibus parentantem. Videte M. Antonium terrâ marique victum, inter tres mulierculas, mulierosâ illâ manu ægrè mortem invenientem. Ubi tu es, Orientis ille paulò ante dominus? Lanista Romanorum exercituum, Pompeji & Reipublicæ sector. En in fune cruentis manibus pendes! En vivus in monumentum tuum repis! En ne moriens quidem avelleris ab eâ, quæ tibi mortis causâ!

XLIV. Quod

XLIV.

Quod retrò ævum, si rectè examinas, tam calamitosum fuit, quàm hoc nostrum est, aut erit? Quæ gens, quæ regio tulit

Tam multa dictu gravia, perpessu asperа,

quàm hodiè nos Belgæ? Bellô ecce jactamur, nec externô solùm, sed civili, nec hôc, sed intestinô. Non enim partes solùm inter nos sunt, sed partium (ô patria! quæ salus te levet?) novæ partes. Adde pestem, adde famen, adde tributa, rapinas, cædes & ἐχάτωι ἕχατον, tyrannidem, oppressionesque non corporum solùm, sed animorum. Quocunque oculos animumque convertas, suspensa omnia & suspecta, ut in domô male fultâ, signa plura ruinæ.

XLV.

Non auditum, non exitum facilè reperio, si semel penetro in profundum hoc exemplorum: sed tamen visnè, paulisper peregrinemur per orbis partes?

tes? Eamus. A Judæâ ordiamur, id est, à regione & gente sacrâ. Omitto, quæ in Ægyptô passi, quæ post excessum ab Ægyptô; tradita enim hæc & prompta in divinis libris. Ad extrema venio & quæ cum funere eorum conjuncta, quæ operæ mihi est, ut exponam, velut per indicem, figillatim. Passi igitur civili, externoque bellô &c.

XLVI.

Nec hic insisto, ad Græciam me confero, in quâ digerere ordine omnia bella, sive inter ipsos, sive cum externis gesta, longum, nec cum fructu. Hoc dico, ita axhaustam & attonsam eam continuum cladio isto ferrô, ut Plutarchus tradat (nunquam mihi sine irâ & admiratione lectum,) eam universam non fuisse suô ævô conficiendis tribus millibus militum, quot tamen, inquit, olim, bellô Persicô, unum Magarensium oppidulum confecerat. Heu! quo cecidisti flos ille terrarum, sol & sal gentium?

XLVII.

XLVII.

Jam Romanos & Italiam perlustramus? Unum bellum Punicum secundum in solis Italiâ, Hispaniâ, Siciliâ supra quindecies centena millia hominum, non totis annis septendecim consumsit &c. Et quid bella recenseo plurimum auspiciô, gestu aut ductu? Unus ecce C. Cæsar (ô pestem perniciemq; generis humani!) fatetur, & quidem glorians, undecies centena & nonaginta duo millia hominum præliis à se occisa.

XLVIII.

Quibus velut in numerum, si vis, adde Q. Fabium.

XLIX.

Ubi tu es, Insularum maxima Cuba? Ostende etiam te paulatim, tu Mexicana ora. Heu miram miseriamque faciem! Immensus ille tractus & verè alter orbis, vastus attritusque apparet, non aliter, quàm si cœlesti quôdam igne deflagrâsset. Mens & lingva mihi cadit, dum hæc memoro, & video nostra o-

mnia præ istis non aliud, quàm paleārum cassēs esse, ut Comicus ait, aut gurguliunculos minutos.

L.

Exempla hic adeò promta & multa, ut laboremus in eligendō. Sullæ nomen nosti, illius Felicis? &c. Appianum, si voles, lege, & in eō variam fœdamque imaginem latitantium, fugientium, sistentium, extrahentium, liberorum circa ejulantium & conjugum: peream ego, nisi humanitatem ipsam periisse dicas ferō & ferino illo ævō.

LI.

Et plurane poscis sævitiæ exempla? cape. Servius Galba in Hispaniā, trium civitatum convocatō populo, quasi de commodis earum acturus, septem millia, in quibus flos juventutis consistebat, repentè trucidavit. L. Lucinius Lucullus, consul Caucæorum, viginti millia, contra deditionis stipulatæ fidem, immissis in urbem militibus, occidit.

LII. Et

LII.

Et profanos adhuc loquor, impiosq; sed ecce tibi etiam inter Deo vero devota nomina Theodosium Principem, qui Thessalonicæ per summum scelus & fraudem septem millia innoxiorum capitum in theatrum, quasi ad ludos convocatos, immissô milite necavit.

LIII.

Exemplum in quotidianâ istâ vitâ. Vide mihi patrem illum sævientem in filios, dominum in servos, præceptorem in discipulos. Phalarides in suô genere omnes isti sunt, & fluctus eosdem in flumine excitant, quos Reges in magno mari, nec animantibus aliis non hæc natura, è quibus pleraque sæviunt in congeneras sibi species in aëre, terrâ, aquâ &c.

——— *pisces sic sæpè minutos*
Magnus comest, sit aves, enecat accipiter,

ait rectè Varro.

LIV.

Velim idem tibi fieri possit in magnô istô mundô. Sed quoniam re non po-

teſt; age, fiat pauliſper cogitatione. Siſto te in altô illô, ſi vis, Olympô: deſpice mihi omnes urbes, provincias, regna, & cenſe totidem concepta te videre cladium. Amphitheatra hæc quædam ſunt, & velut Arenæ, in quibus cruenti illi Fortunæ ludi. Nec longè oculos mitte. Italiam vides? Nondum triginta anni ſunt, cum à ſævis, aſperisque ab utrôque latere bellis conquievit Lætam illam Germaniam? Validæ in eâ ſcintillæ nuper diſſidii civilis quæ iterum exardeſcunt, &, niſi fallor, inexitialem magis flammam Britanniam? perpetua in ea bella, cædesque: & quod nunc pauliſper in pace eſt, impetiô debet pacati ſexus. Galliam? Vide, & miſerere? etiam nunc per omnes ejus articulos gangræna ſerpit ſangvinolenti belli. Nec aliter in totô orbe.

LV.

Sed heus! cùm præmiſerim magnos, quì in eâ ſectâ fuerint: an non vel duos maximos omiſi, Senecam & Epictetum? dabo: diſtuli enim, non omiſi, & ve-

& velut Triarios quosdam claudere, volui hoc agmen. O rara sapientiæ lumina! O cara mihi nomina! quos, audacter dixerim, superâsse, in hac morali præsertim parte pertractandâ.

Τὰς ὄντας, τὰς τ' ἐσομένους καὶ τὰς πρὸ τ' ἐόντας.

Quotquot sunt, quotquot erunt, & quotquot in ante fuerunt.

LVII.

Verùm omissis priscis exemplis, ad recentiora veniamus. Majorum nostrorum tempore N. in tantâ autoritate, ut &c.

LVII.

De hac re habemus innumera exempla, quæ non tantùm olim, sed nostro tempore accidere, recentiora autem tanquam nimis odiosa recensere, mei propositi non est. Notabile est, quod refert N. de N.

LVIII.

Equidem multos & vidi in hac civitate & audivi, non modò qui primoribus labris gustâssent hoc vitæ genus,

& extremis, ut dicitur, digitis attigiſſent, ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquandò, & ſe ad frugem, ut dicitur, recepiſſe, gravesque homines & illuſtres fuiſſe.

LIX.

Sed quanta doctrinæ & diſciplinæ vis ſit in naturâ vel malis corrigendis, vel bonis augendis, id maximè in exemplis doctiſſimorum Principum cernere licet. Hiſtoriæ enim oſtendunt, eos Reges, Principes & Gubernatores, qui literarũ ſtudia coluerunt, indoctis principibus virtutis laude longè antecelluiſſe. Quanta enim virtus fuit in Davide, Rege Iſraëlitarum, propter acerrimum ſacrarum literarum ſtudium? &c. In Romanâ Monarchiâ, quantâ eruditione præditus fuerit C. J. Cæſar, id ejus oſtendunt commentarii ſapientiſſimè ſcripti.

LX.

Sed ut de aliis Principibus doctis, quos alia regna habuerunt, nihil dicam,

cam; annon inter Imperatores hi clarissimi sunt, qui studia literarum coluerunt, & scholas publicas fundarunt? Quales sunt, &c.

LXI.

Sed brevitas temporis jam obstat, ut ne nominare quidem mihi liceat Principes eos, qui in historiis clari sunt, præterea, quod cum belli pacisq; artibus solidæ eruditionis laudem conjunxerunt. Qui certè in cognoscendis bonis artibus nihil operæ, nihil studii posuissent, si earum cognitionem, ad virtutem & gloriam comparandam, nihil prodesse censuissent.

LXII.

Non est, quòd quis vestrûm sine exemplorum appositione lentiùs hæc à nobis dici miretur: Vita atque factis omnium penè hominum abundè satis hoc comprobari potest. Vultis igitur exemplis priscorum populorum apud vos utamur? Vultis ex antiquissimis historiis regiâ dignitate viros illustres, his verò vitiis infectos, repeta-

mus? Alexandrum, cui ex rebus actis & auctis, Magni nomen est inditum, Alexandrum, inquam, hac luxuriâ & immoderatô voluptatum usu, eô prolapsum esse accepimus, ut optimos etiam amicos, inter quos Clitum, suæ nutricis fratrem, in conviviô occiderit. Quo impietatis & crudelitatis insatiabilis Nero impurissimus non prosiliit? Hic vino gulæq; adeò deditus fuisse legitur, ut, mutatô nomine, pro Claudius Tiberius Nero, Claudius Biberius Mero dici meruerit.

LXIII.

Sed quid ego te, Alexander, quid te, Nero, ex tantâ antiquitate repeto? quasi verô nobis magnô numero non sint in omnibus provinciis nepotes, qui suâ vitâ perditissimâ sibi morbos attrahant, periculis se exponant, & in mille vitæ discrimina conjiciant.

LXIV.

Hujus rei exempla, quorum aliquot myriades nobis, si id agere vellemus, historiæ suppeditarent, omnia brevi-

tati

tati serviens, ut etiam post me dicturo tempus supersit, prætereo, unicô saltem priùs commemoratô puto omnibus constare, laudabilem, & memoriâ dignissimam Josephi veritatem, variis jam mendaciis oppressam, admirabili tandem Dei ter-Optimi Maximi consiliô manifestatam fuisse, licèt fratres ejus Parenti mœstissimo impietatis suæ factum occultare, eidemque veste, sanguine conspersa, exhibenda, filium à feris dilaniatum esse, persvadere conati sint: licèt etiam sceleratissima Potipharis uxor Josephum veracissimum & castissimum pudicitiæ violatæ accusare non dubitarit, horum tamen conatus steriles fuerint & irriti.

LXV.

Et certè, quæ libidinum sint præmia, omnium ætatum historiæ satis superque testantur. Quam aliam ob causam mundus aquarum inundatione deletus? Idemque Sodoma & vicinæ urbes sulphureô imbre, cœlitùs immissô exustæ fuerunt, quàm ob vagas libidines?

nes? Nonné duodecim Principes ob incestas libidines suspensi, & circiter 24000. hominum cæsa & trucidata sunt? Annon tota ferè Benjaminea tribus, ut ex judicum historiâ constat, ob nefaria stupra exstirpata atque deleta est? Quis vel mediocriter rerum humanarum peritus ignoret, sceleratas libidines mutationi imperiorum, eversioni populorum, vastationi agrorum, conflagrationi civitatum, & infinitis privatorum cædibus occasionem præbuisse? Quid regnum Trojanum olim florentissimum evertit? libido. Quid Thebis exitiô fuit? Oedipi libido. Quid Rempublicam Romanam aliisque complures & nationes & civitates turbavit, labefactavit? libido. Quænam etiam nunc plerorumq; malorum & calamitatum origo existit? nefaria libido. Hæ nimirum turpissimarum libidinum pœnæ sunt, hic incontinentiæ finis, hæc ultionis exempla: quæ certè tanta sunt, ut nos ab impuris, atq; obscœnis cupiditatibus

ad

ac castitatis & pudicitiæ studium meritò excitare atque inflammare debeant.

LXVI.

Testantur id sacræ literæ, omnium gentium historiæ: testatur etiam nostra experientia. Quid enim putatis, Adolescentes, aliud fuisse causæ, quamobrem Deus superioribus annis tot nobis ex &c. Viros summos eripuerit, quàm multorum nefandam ingratitudinem? Quamobrem expergiscimini tandem, excutite veternum ingratum; excitate animos vestros alacres, agnoscite beneficia, quæ in vos cumulantur indies, &c.

XLVII.

Nunc recitabo pauca exempla magnorum virorum, qui per lubrucationes atque exercitationes nocturnas, maximam doctrinæ, sapientiæ & virtutis laudem sunt consecuti. Legimus, fictilem lucernam Epicteti Philosophi, post mortem ejusdem, maximô pretiô, videlicet tribus drachmarum

rum millibus, venditam fuisse. Unde colligimus, hunc virum ob acerrima studia nocturna ad tantum doctrinæ & sapientiæ opinionem & admirationem apud omnes pervenisse, ut, qui vel lucernam ejus possideret, beatus & tanti Philosophi imitator futurus crederetur. Plura exempla diligentiæ & vigilantiæ magnorum Virorum brevitatis causâ prætereo: hæc, quæ jam attuli, ad solidam eruditionem nobis comparandam, qua possumus imitationem, exprimamus, præsertim, cùm sciamus, non tantùm studiosis literarum, sed etiam omnibus aliis hominibus, quocunq; in vitæ genere versentur, sive magnô, sive parvô, hanc vigilantiam & somni moderationem necessariam esse.

LXVIII.

Quam quidem ad rem religiosissimus & sapientissimus Rex David suô exemplô nobis præivit, qui, ut multa in Psalmis ejus loca ostendunt, de nocte, ad divinas laudes decantandas, con-

consurgere, & hymnis suis auroræ exortum prævenire solebat.

LXIX.

Sed age, afferamus pauca exempla magnorum Virorum, qui sibi admirabilem doctrinæ & virtutis copiam, pereximiam vigilantiam, & singularem moderationem somni, comparârunt.

LXX.

Ut alia exempla, quæ sunt innumerabilia, omittam, quantis vigiliis, quantis laboribus & periculis, victorias adeptus est Alexander Magnus? de quo Curtius libr. 4. sic inquit: Sed nec somnum capere, nec quietem pati poterat: modò è jugo montis aciem in dextrum Persarum cornu dimittere agitabat, modò rectâ fronte concurrere hosti, interdum hæsitare, an potiùs lævum torqueret agmen. Ibidem Alexander ad Ducem suum Parmenionem inquit: Credisne, me prius somnum capere posse, quàm exonerarim animi solicitudine, quæ quietem morabatur? Sed omissis his victoriis bellicis

& cru-

& cruentis, quæ nullis victoribus sine summâ curâ contingunt, dicamus breviter de victoriis scholasticis; nam & nostrum genus vitæ militia est quædam, in qua nemo sine curâ, sine vigilantiâ, sine laboribus victoriam adipiscetur.

LXXI.

Et ratio ipsa docet, & vitæ usus exemplis probat, desidiam & otium, inque voluptatibus omnibus perfruendis, assiduitatem, multò magis accelerare mortem, quàm moderatos & naturæ convenientes labores, verissimeque apud Gellium à Catone esse dictum, vitam humanam esse uti ferrum, quod exercendô conteritur, sed cum splendore pulchrô: si non exerceat, tamen interit, sed cum turpitudine, rubigine videlicet, illud interficiente. Item homines exercendô videmus conteri, sed cum gloriâ: si nihil exerceas, inertia ac torpedo plus detrimenti affert, quàm exercitatio. Atque hæc omnia, si nobis sedulò inculca-

caverimus, optimè certè magis id fieri decet, quantò est cùm omnis ætas, tum præcipuè nostra à labore ad voluptatem proclivior, quantò item verius illud Bionis: Facilis est ad inferos via: Clausis enim oculis illuc à nimium multis pervenitur.

LXXII.

Itaque apud Veteres in summô honore atq; pretiô fuit eloquentia. Nam & summi Principes, cùm non minimum dignitatis suæ præsidium in dicendi facultate constitutum putarent, Eloquentiæ operam dederunt. Certè constat, Philippum, Macedoniæ Regem, ejusque filium Alexandrum, dicendi laude floruisse. In liberis autem populis ac civitatibus semper illa regnum obtinuit, adeò, ut nemini Principi in iis daretur locus, nisi Eloquentiæ gloriâ excelleret.

LXXIII.

Nam ut Athenas, cæterasq; Græciæ civitates nunc præteream, Romæ profectò tantùm valuit Eloquentia, ut ne-

nemo, quamvis nobilitate, rebusque gestis clarus & insignis, confideret, facilem sibi aditum ad summos honores patefactum iri, nisi dicendi laudem cum militari virtute conjunxisset. Hinc Claudii, Cœlii, Scipiones, Galbæ, Catones, aliique multi in dicendô Principes exstiterunt, & tandem Cicero absolutum Eloquentiæ specimen dedit, ut eam ob causam Romulus Arpinas in forô regnare diceretur. Neque verò, postquam Respublica regiô dominatu gubernari cœpit, Eloquentiæ studia interciderunt. Nam ut Julii Cæsaris Eloquentia nihil dicam, Octavianum certè dicendi laude præstantem fuisse constat. Imò nec tyranni, ut Caligula, Nero, & alii, hac dicendi facultate caruerunt. Verùm & posterior ætas multos eximios Viros tulit, qui artem dicendi omni studiô coluerunt. Nec nostrâ memoriâ desunt, qui in eâ excolendâ & locupletandâ multum operæ studiique ponunt.

LXXIV.

Infinitum esset, si vellem eos, qui ab his orti sunt, enumerare; quos omnes constat fuisse gloriæ stimulis acriter incitatos. Sed quid Poëtas admiramur, cùm agricolas & opifices, cùm barbaros etiam homines, & ab omni cultu humanitatis abhorrentes, laudis dulcedine moveri videamus?

LXXV.

Cæterùm exempla æmælationis honestissimæ plurima in medium proferri possent, nisi temporis angustiæ vetarent. Veruntamen unum atque alterum ex infinitâ copiâ decerpere liceat.

LXXVI.

Verùm exempla plura nec res proposita desiderat, nec temporis brevitas admittit.

LXXVII.

Sed quid longinqua ex veterum annalibus exempla repeto? Convertamus nos ad propinqua, quæ ætas nostra vidit, ac etiam nunc non absque ingenti dolore videt. Quis nescit quàm exitiosa ac funesta irarum fax in Belgiô

giô & Rom. Imperiô, multis ab hinc annis accensa adhuc ardeat? Quis ignoret tyrannidem Gallicô-Sveciam? cujus furore multa hominum millia in Regiô omnibus fortunis despoliata, bonis omnibus exuta, carcere, vinculis, ferrô, cruce, flammâ, defossionibus, mersionibus, indictâ causâ, atque etiam non rarò intempestâ nocte, contrucidata sunt. Quis adhuc absque luctu & horrore carnificinam Gallicam recordari queat? in qua, circiter triginta annorum spatium, multa centena hominum millia interfecta sunt, non omnes in præliô, sed in summâ quiete, non armati, sed partim nudi, atque in lectulis dormientes, partim supplices atque sicariorum misericordiam implorantes, non unum in locum coacti, sed suis quisque in civitatibus ac domiciliis constituti, non per judicium ac legitimam quæstionem, sed rabie, impetuq; furentis populi; atque in eô numerô quàm plurimi morbis affecti, multi senes, multæ nobiles matronæ,

gene-

generosæ Virgines, mulieres prægnantes, pueri infantesq; complures, Viri denique permulti erudissimi clarissimique, & ab omni armorum & tumultus suspicione remotissimi fuerunt.

LXXVIII.

Cujus rei exempla propè infinita in omnibus Academiis, non absque magnô multorum parentum & amicorum dolore, animadvertere licet. Nam quotusquisque adolescens, quamvis domi probè institutus, in Academias mittitur, qui ingenium suum non mutet, at potiùs aperiat, suisque cupiditatibus frænum laxet, &, quicquid libeat, sibi licere putet? Et verò quis in multitudine & pravitate exemplorum, in errorem & fraudem capitalem non judicatur? Quodcunque enim exemplô fit, id vulgò rectè fieri putatur: tantaque pravæ consuetudinis vis est, ut etiam bona ingenia, & à flagitiis abhorrentia, sæpenumerò corrumpantur.

LXXIX.

Sed plura exempla nec tempus ad-

mittit, nec res ipsa postulat, cùm præsertim hac nostrâ ætate, maximè verò in scholis & Academiis, magnus plerumque fit eorum numerus, qui suis institutoribus aut nullam, aut perexiguam, atq; etiam interdum pessimam gratiam rependunt. Multi namq; reperiuntur, qui, quòd Plato conquestus est, pullos equorum imitantur, qui lacte maternô exsaturati, matrem calcibus feriunt, hoc est, præceptoribus benè meritis obtrectant, & eorum doctrinam atq; institutionem vel temerè exagitant, vel improbè extenuant, vel tam frigidè laudant, ut vituperâsse præstiterit. Nonnulli præmia, quæ Minervæ debebantur, vel non solvunt, vel ita dispertiunt, ut minorem partem Minervæ, majorem Veneri cæterisque voluptatum ministris tribuant: nec denique desunt scelerati, qui ob salutarem disciplinæ serveritatem, præceptoribus insidias inter struant, & calamitates machinentur.

LXXX

LXXX.

Deus ipse tam immane scelus meritis suppliciis coërcet & ulciscitur: id quod infinitis exemplis, si tempus ferret, notum & testatum facerem. Etenim ut de multis unum alterumvè commemoram, annon Manasses, Deô auctore & vindice, ab hoste captus, tetroq; carceri inclusus, ac vinculis durissimis constrictus, annos decem acerbissimas impietatis suæ pœnas dedit? Nonné Aristobulus, partim acerbissimô animi dolore, partim sævô intestinô cruciatu affectûs, non procul ab eô locô, ubi fratrem necari jusserat, animam cum sangvine evomuit? An non Domitius Nero, impietatis conscientiâ oppressus, & animi pavore, mentisque errore agitatus, tandem ipse necem sibi consciv it.

LXXXI.

Unus Dionis Syracusani filius miserandô interitu suô hæc, quæ à me dicuntur, verissima esse facilè comprobaverit. Illum, cùm pater (ut Corneli-

us Nepos auctor est) ab avunculô Dionysiô, Siciliæ Tyrannô, per summam omnis generis intemperantiæ & libidinis indulgentiam educatum, turpissimisque cupiditatibus imbutum, pristinô victu deducere conaretur, eousque commutatum prioris vitæ statum ferre filius non potuit, ut è superiore ædium parte præcipitem sese dare, quàm in virtutis & modestiæ viam redire maluerit. Maximus illorum numerus est, qui ad hoscè vitiorum scopulos illisi salutis suæ naufragium faciunt.

LXXXII.

Tuos, mi Cicero, appello manes, tuosque testor consopitos cineres; reviviscas, quæso, &, quod dudum exemplô præstitisti tuô, in præsentiarum rursus comprobato. Annon tu &c.

LXXXIII.

Quæro abs te, Hercules, quibus tu tandem gradibus ascendisti in cœlum? quô tu, quæso, modô tam nobilis, tam celebris factus es, tam honoratus? pro-

profectò licèt ipse jam sepultus jaceas, tuum tamen nos canore satis alloquitur exemplum, te per labores tuos verè Herculeos evasisse inclytum.

LXXXIV.

Sed quid moror istis? quid dictis opus est, cùm facta loqvuntur? Respicite enim Heraclitum.

LXXXV.

Vultis itaque, ut è mortuis resurgat Aristippus? Vultis, ut vobis Nestorem, vultis, ut Ulyssem in scenam inducam? en vobis adest coràm, quem quæritis.

LXXXVI.

En! vobis, si placet, multas doctorum legiones ad suppetias nostras, qui ad hujus sententiæ mentionem, tanquam milites ad suum vexillum, nobis gregatim occurrunt præsidiarii. Illum melioris literaturæ antesignanum, Plutarchum, qui, &c.

LXXXVII.

Vos parietes obtestor, & vos subsellia imploro! Adeste vos Ciconiæ, vos

quilæ, vosLeones! & hodierni temporis ingratos humanum mores redarguite!

LXXXVIII.

Vidimus multos honore conſpicuos celſarum divitiarum inſediſſe faſtigiis. Tyrio murice nitidiſſimos, qui ad utrumque Phœbum & polum utrumque ſuum extenderunt imperium; quorum ampliſſimæ opes abierunt, tranſierunt, & ipſi opum tantarum Domini. Sed in hoc Muſarum Parnaſſô, circumvectô ætatis veſtræ gnomone, cùm horologii umbra, aut mortis, aut ſenectutis punctum attigiſſe videbitur, tum confertiſſimos uberrimæ ſtudiorum veſtrorum meſſis manipulos demeteris.

LXXXIX.

Et quoniam ſub vexillô veritatis contra ſecùs cogitantes digladiandùm eſt, multas armatorum catervas, velut in Eqvũ Trojanum congregavi, qui adverſariis ſurreptô Palladiô, victoriam facilè pollicentur Et cum vobis in primâ acie Ciceronem, qui &c. XC.

XC.

Quid? repetamne Catilinæ parricidium; perstringam Clodii libidinem, Grachorum molitionem; Tempus non sufficeret, si Neronem, si Heliogabalum (monstra narro, non homines) in theatrum inducerem: quorum ingluviem, crapulam, si recensere velim, dies me deficeret, & quidem nox aptior esset tali historiæ.

XCI.

Turmatim nobis hoc occurrunt heroës ille literarii, magni studiorum Atlantes.

XCII.

Sed quo me jam fessum rapitis, Philosophi? Quid tu, Philosophorum Phosphore, magne Aristoteles, mihi in aurem dicis? Quid est, ô Cleanthes, quòd tu mihi sic urgeas cubitum? Ego te novi, omnes hi te noverunt per nocturnas vigilias viaticum ad diurnas Musas comparâsse.

XCIII.

Propono & propino vobis pientis-

simi illius Æneæ exemplum, qui &c.

XCIV.

Quibus autem donis cumulati, quibus exculti artibus, fastigiatam Eloquentiæ arcem conscenderunt veteres illi Oratores? An utique credimus, eorum nascentium labris insedisse flexanimam Svadam? cujus quasi gratiis afflati evaderent aliquando in Deos mortales, suô qui arbitriô animorum habenas moderentur? minimè verò; sed per studia, per labores, vigilias inclaruerunt. Vos igitur fatigare juvet Scyllas, Charybdas, & reliqua monstra aquarum; & si quid in orbe sit arduum, hoc molimini: exhaustum enim sudorem ingens à tergô comitatur gloria.

XCV.

Obruor, en obruor ego jam exemplis, quocunque oculos, quocunque animum appulero meum, video multifariam exemplorum supellectilem, & veluti muscas, undique prosilientes milites volones, ad hanc propugnandam sententiam, advolare. Nam

XCVI.

Nam ut ab Heroicis usque temporibus annalium memoriam animô replicimus, nullam ullibi inveniemus gentem, quam, &c.

XCVII.

Annón æquitatis studium exilium Aristidi? Studium sapientiæ venenum Socrati? integritas, & patriæ salus Demostheni perniciem accersivit?

XCVIII.

Hic verò campum feraciſſimum & lætiſſimas segetes ostendit historia, in quibus omninò omnibus demetendis si desudem, tempus antè me deficeret, quam extremos sulcos attigero: exemplorum igitur multitudinr supersedendum arbitror, & unum tantùm aut alterum manipulum colligemus.

XCIX.

Sed non diffundam me multis, nec in potentiſſimos historiarum campos exspatiabor, unum solummodò, aut

alterum, vobis porrigam ex copiosiori vindemiâ racemum, quem vestro ut allubeat palato, valdè cupio.

C.

Peragra universum terrarum circulum, expiscare mortuos, viventes compella, roga priscas, modernas ætates interroga, id tibi à cunctis responsi unô ore dabitur, neminem natum ad res præclarè gerendas, qui nullâ sapientiâ ornatus, nullô intellectûs acumine, nullô usu, nullâ exercitatione, sit præditus; qui in artium scientiâ plumbeus, in lingvarum varietate jejunus, in dicendi flumine silice siccior, in politiæ legibus peregrinus, in veterum memoriâ puer. Nam quæ singula in singulis, ea universa in illo requiruntur, qui aliis præire, prodesse & præesse cupit, non secùs ac oculus, quæ cæteri conjunctim nequeunt sensus, omnia solus contemplatur.

CI.

Si antiquitatis memoriam refricare voluerimus, inveniemus &c.

Hæc

Hæc cum multis aliis, quæ in his habentur formulis, non, incommodè ad formulas Chriarum poteſt referri.

CII.

Innumerabilia ſuppetunt exempla, quæ ingeniorum claritatem & artium præſtantiam teſtentur, ſi ea perſequi liberet, aut ſi per tempus liceret. Longum quippe nimis agmen foret explicandum eorum, qui ex vobis orti, ac variâ eruditione clari patriam ſuam illuſtrârunt. Bembi, Manutii, & alii infiniti nominandi venirent, qui, cùm ſcriptis ſatis noti ſint, meâ prædicatione fieri notiores non poſſunt. Vivunt etiam nunc, qui olim nomen habebunt. Sed ante omnes memorari meretur, nec ſine piaculô præteriri poteſt, qui proximè deceſſit, Patriæ libertatis acerrimus, dum vixit, & vindex, quò felicius ad omnia ingenium poſt renatas literas natum dixerim nullum, imò vel ab anterioribus etiam multis ſeculis, adeò, ut in eô formandô to-

tam se videatur impendisse naturam, sed & exemplar protinùs corrupisse, ne par aut similis illi aliùs unquam posset existere. Non omittendi & hic essent, qui apud vos militari gloriâ terrâ marique magni fuére, quorum longè maximus numerus, si per laudes ire vestras, & in præconium suscitare cætera bona, quibus se Venetiæ jactant, hic locus mihi permitteret, quò ea tantùm exponere instituì, quæ ad muneris hujusce mei commendationem facere videntur.

CIII.

Exempla totum hoc & universum mundi theatrum suppeditat infinita, ut hisce apponendis tempus terere operæ pretium non sit.

CIV.

Et quis quæso in monumentis historicis peregrinus est adeò, ut ei in promptu non sit hujusmodi Exemplorum congeries?

CV.

Testem hujus rei sufficientem se præ-

præbet Chrlſtiani nominis hoſtis, Turca, ut plurium inductione exemplorum res non indigeat.

CVI.

Hoc tamen facilè perſpici poteſt, ſi, quantum lapſum, quantam ruinam, quantum vertiginem Rerumpublicarum adferat defectio, & devaſtatio Academiarum, ſeriò ac impensè conſideretur. Propono Græciam olim omnium nationum in orbe terrarum beatiſſimam, quæ collapſis & ſepultis Athenis in plus quàm barbaricas tragœdias incidit. Alia hic apud Scythas, apud Africanos & Indos recenſerem, ſi non horreret animus miſeranda exempla.

CVII.

Producam vobis Alexandrum iſtum, qvem virtus ſimul ac fortuna Magnum fecit, incitabo ſapientiæ dictatorem, Platonem.

CVIII.

Si reliquos percenſere vellem, in tædium vos, Auditores conjicerem. Sed

quid nos exemplis exoticis hic immoramur, cùm non desint nobis domestica.

CIX.

Circumferte mentis oculos, quò vultis: per omnes majorum & posteriorum ætates: Veterem omnem & recentem memoriam explicate.

Formulæ proponendi exempla ex Valerio Maximo.

I.

NOn invitus huic subnecto Daphidam, ne quis ignoret, quantum interfuerit, ceciniſſe Deorum Laudes, & numen obtrectâſſe. Hic cùm ejus ſtudii eſſet, cujus Profeſſores Sophiſtæ vocantur &c.

II.

Cujus exemplum Valerius, qui primus conſul fuit, ſtudiò ſuccurrendi civibus, ſecutus, &c.

III.

Non ſinit nos M. Craſſus, inter graviſſimas noſtri imperii jacturas numeran-

randus, hoc locô de se silentium agere, plurimis & evidentissimis ante tantam ruinam monstrorum pulsatis ictibus.

IV.

Claudatur hoc exemplô talium ostentorum domestica relatio, ne si ulteriùs Romana apprehendero, è cœlesti templô, ad privatas domus, non consentaneos usus transtulisse videar. Attingam igitur externa, quæ latinis inserta literis, ut authoritatis minus habent, ita aliquid gratæ varietatis afferre possunt

V.

Adjici nostris duo ejusdem generis alienigena exempla non absurdè possunt.

VI.

Idem sensit proxima majorum nostrorum gravitati Spartana civitas, quæ severissimis Licurgi legibus obtemperans aliquamdiu civium suorum oculos â contemplandâ Asiâ retraxit, ne illecebris ejus capti ad delicatius vi-

tæ

tæ genus prolaberentur. Audierant enim, &c.

VII.

Verùm quid ego fortissimos hoc in genere prudentiæ viros laudem? Respiciantur ludorum fœminæ, &c. Protrahe in medium Cimbricam audaciam; adjice Celtibericam fidem, junge animosam Thraciæ sapientiam, annecte Lyciorum in luctibus callidè quæsitam rationem, &c.

VIII.

Cui gloriæ Pœnicarum fœminarum, ut ex comparatione turpius appareat, dedecus subnectam.

IX.

At nostra urbs, quæ omni genere mirificorum exemplorum totum orbem terrarum replevit, imperatorum propriô sangvine manantes secures (ne turbatô militiæ ordine vindicta deesset) è castris publicè speciosas, privatim lugubres, duplici vultu recipit, incerta gratulandi prius, an alloquendi officiô fungeretur. Igitur ego

quo-

quoque hæsitante animô vos, bellicarum rerum severissimi custodes, N. N. memoriâ & relatione complector, quia animadverto fore, ut pondere laudis, quam meruistis, obrutus, magis imbecillitatem ingenii mei detegam, quàm vestram virtutem, sicut par est, repræsentem.

X.

Quid de Fabricii Lucini censurâ loquar? Narravit omnis ætas, & deinceps narrabit, &c.

XI.

Nec præterit me, conditor urbis nostræ, Romule, principatum tibi hoc in genere laudis assignari oportere; sed patere obsecro, unô te præcurri exemplo, cui & ipse aliquantum honoris debes, quio beneficiô illius effectum est, ne tam præclarum opus tuum Româ dilaberetur.

XII.

Ne M. quidem Marcelli memoriam ab his exemplis separare debemus, in quo tantus animi vigor fuit, ut &c.

Ma-

XIII.

Magnum inter hæc fortitudinis exemplum antiquitas offert.

XIV.

Quorum virtuti nihil cedit Q. Curtius, qui propter fortitudinem Achilles cognominatus est; nam ut reliqua ejus opera non exequar, abundè tamen duobus factis, quæ relatus sum, quantus bellator fuerit, cognoscetur.

XV.

Cynægyrum Athenienſem ſimili pertinaciâ in conſectandis hoſtibus uſum, verboſô laudum ſuarum cantu Græcia omnium ſeculorum memoriæ literarum præconiô inculcat.

XVI.

Tuum verò, Scæva, inexuperabilem ſpiritum in utraque parte rerum naturæ qua admrratione proſequar, neſcio: quoniam excellenti virtute dubium re i quiſti &c.

XVII.

Quæ quidem planiora ſuis exemplis redduntur, ac primum de iis ordiar, quo-

quorum in meliorem ſtatum facta mutatio ſplendidam relatu præbet materiam.

XVIII.

Complura hujus notæ Romana exempla ſuperunt: ſed ſatietas modò vitanda eſt: ſtylum meum ad extrema jam delabi permittam: quorum principatum teneat N. cujus conſtantiâ nihil pertinaciùs.

XIX.

Sentio, quos cives, quæque facta eorum ac dicta, quàm incongruò ambitu orationis amplectar? ſed cùm magna & multa breviter dicenda ſint de excellentibus viris, ſermo, infinitis perſonis rebusque circumfuſus, utrumque præſtare non poteſt. Itaque propoſiti quoque noſtri ratio non laudanda ſibi omnia, ſed recordanda ſumſit; quapropter bonâ cum veniâ duo Metelli, maxima Patriæ ornamenta, ſtrictim enarrari patientur.

For-

Formulæ proponendi teſtimonia.

AUdiatur bellicarum inſtitutionum prudentiſſimus Xenophon. Quid ille? omnem Perſiæ militiæq; rationem, omnem hoſtis adoriendi fortitudinem, congrediendi audaciam, omnem frigoris atque æſtûs militaris tolerantiam, omnem animi intrepidi confidentiam, laborum omnium patientiam, ex venatoriô campô profectam eſſe graviſſimis verbis & exemplis confirmavit.

II.

Audiatur Rex carminum, Virgilius. At quid ille?

III.

Videatur hac de re magnum illud mundi miraculum, Ariſtoteles.

IV.

Priſcos illos Patres vide, Græcos latinosque; densô agmine à nobis omnes ſtant, & modeſtum philoſophiæ ſtudium non ferunt in Chriſtianô ſolùm, ſed inculcant & ſvadent. Quorum au-

auctoritatis scutô satis me putem sine aliâ ullâ ratione contra gigantes illos tectum,

V.

Sed quid testimoniis & exemplis pluribus rem, suâ ipsius luce claram, illustratum eo? Bellicis ipsis atque armis si vocem dari possimus, quid hac de re nobis responsurâ esse arbitramur?

VI.

Homerum! ecce, adi & audi, primum & sapientissimum Poëtarum; mentior, si aliam magis orbitam divina illa Musa calcavit & inculcavit, quàm hanc fatalem. Nec abiit reliqua Poëtarum stirps à suô Patre. Euripidem, Sophoclem, &c.

VII.

Quod etiam Eloquentiæ Magister, Cicero, deliberatissimô consiliô asserens; Jam verò, inquit, &c.

VIII.

Audiantur hac de re Philosophi, quibus cura major eruendæ & tuendæ contra

contra vulgum veritatis. At illi, cùm in plerisque aliis diversi ierint, studiô & malô ambitu certandi; mirum quam omnes convenerint in unius hujus viæ capite, quæ ducit ad fatum. Capite, viæ dixi, quia non eô negatum, quin ea in plures mox semitas secta, quas tamen omnes ad hoc Quadrifinium video posse reducere.

IX.

Sed hunc omitto: ad Stoicos venio, qui &c.

X.

Seneca sanè Stoici porticus tibicen haud infirmus hîc loquitur, &c.

XI.

Eximiè eximius ille sapientum Epictetus.

XII.

Homerus ille Philosophorum Rector, id est, Plato.

XIII.

Seneca, ut solet, ad hanc rem altè & aptè.

XIV.

XIV.

Verè Hesiodus, & ex ipsô sapientiæ penetrali.

XV.

Timidè hoc dicerem & ambiguus fidei, nisi fidissimi huic rei ab illo ipso ævô testes.

XVI.

Unum tantum in totam hanc rem, priscæ servitutis testimonium adferam, & quidem è familiari tuô scriptore, quod velim attendas. Tacitus de Domitiani ævô, legimus, inquit &c.

XVII.

Denique stimulum etiam incutiam à Justinô, illo sanctô.

XVIII.

Cui assonat illud παροιμιῶδες apud Diogenem.

XXI.

Audiamus quid hac de re dicat, quid sentiat quid statuat Panætius inclytus, & ille vertices.

XX.

Plures testes offerunt: dimitto. Satis

isti evincunt: utinam & liquidò satis declarent!

XXI.

Cujus sententiæ omnis scripturæ sacræ consentis auctoritas.

XXII.

Optimè Stoicorum omnium acutissimus Seneca.

XXIII

Idem magnus ille Hippocrates videtur censuisse.

XXIV.

Audiatur Julius Firmicus, juratissimus Stoicus.

XXV.

Ad testimonium citetur Princeps ingeniorum Homerus.

XXVI.

Nec testimonia congero in sententiâ decantatâ: illud addam &c.

XXVII.

Ipsum Homerum, divinarum omnium inventionum originem & fontem, (verò elogiò à Macrobiò sic dictum) audi.

XXVIII.

XXVIII.

Clariſſimè & uberrimè hoc exſequitur Macrobius.

XXIX.

Sed abſtineo, & Platonem inſuſurrantem audio.

XXX.

Nec hinc abludit monitum illud apud Livium.

XXXI.

Audiamus, obſecro vos, de hoc ipſo graviſſimè ac ſapientiſſimè diſſerentem Platonem.

XXXII.

Unde etiam tritum vulgari ſermone proverbium natum eſt.

XXXIII.

Idem oſtendit divina auctoritas. Deus enim per Moſen ſic inquit: &c.

XXXIV.

Quod ſi quis hac de re humanæ etiam autoritatis teſtimonium requirat, is hoc Platonis teſtimoniô ſit contentus, qui dicit, &c.

XXXV.

Sed si & ipsam naturæ humanæ conditionem & authoritatem cùm divinam, tum humanam, & exempla doctissimorum, Principum omnium temporum diligenter consideraverimus, raperimus verissimum esse Virgilii dictum, Discite justitiam &c.

XXXVI.

Et ne nimis steriles in tantâ fœcunditate & flumine differendi simus, fontibus apertis, rivulos nostros altiùs aliquantisper fluere jam permittemus, consultis Antiquorum oraculis, ex quorum Tripode nostra sat abundè confirmatur opinio: horsum tu, Plato, paucis te volo.

XXXVII.

Neque vos invito solùm ad olera, hæc & legumina, aliaq; id genus crassioris succi alimenta meæ inventionis arte sata, cocta, apparata; sed exquisitissimam mensam, epulas Oratorum, ambrosiam Philosophorum, nectar Poetarum, omniaq; mellitissima oribus,

auribus, animis, quæ placeant, ferculaXXXVIII.

Sed si mea vos non moveat oratio, moveat saltem antiquorum Philosophorum, moveat Oratorum: non enim pluvias (ut ajunt) colligunt, sed è vivô gurgite salientes propino: legite Demosthenem, evolvite Isocratem, percurrite Platonem, &c.

XXXIX.

Adesdum tu, M. Tulli, adesdum (inquam) & dicas apertè.

XL.

Ex tripode penitissimæ sapientiæ est illud Senecæ.

XLI.

Idem etiam, quod ego in hac re sapientiæ humanæ oraculum, Aristoteles ipse dixit, affirmans, &c.

XLII.

Nec est, quòd vereamini, meæ me habere causæ testem ὁμόψηφον: habeo enim; & in promptu habeo, nec illum proletarium quempiam, imi subsellii Oratorem gregariumvé militem, sed

politioris literaturæ vexilliferum magnum illum doctumque Scaligerum, qui in honoratissimô doctorum chorô nemini secundus assidebit.

XLIII.

Sed quid ego argumentor? quid plura disputo? te testem obtestor, mellitissimè Cicero! ad te enim (tanquam ad sacram aliquam anchoram) jam confugio; ut tu, velut alter Achilles, nostram propugnes oppugnatam provinciam: quid? annón tu, &c.

XXXIV.

Hoc ipsissimum in ore sæpiùs habuisse fertur Augustus Cæsar, ipsum audite. O egregiam & verè regiam tanti Imperatoris sententiam! Optimè dixisti, vir optime.

XLV.

Et si telas Oratorum retexere voluissem, sexcenta liceret ejusmodi proferre: pleni enim sunt libri, plenæ historiæ; sed nec opus est, ut vagetur oratio, cùm domi habet, unde luxuriet.

Quod

LXVI.

Quod illud confirmat Euripideum, aureis sanè insculpendum characteribus.

XLVII.

Sed priusquam valedicam his, salutandus est Plato, compellandus etiam paucis est Isocrates: Qui velut Sol & Luna inter alios emicuere, plenisque buccis & buccinis huic nostræ astipulantur opinioni.

XLVIII.

Arbitros arcesso, omnium scientiarum callendissimos; & oraculo vos audire cogitate, cùm universum Antiquitatis concentum audieritis, qui omnes in hæc verba sublimia, acuta, mellis, leporis, piperatæque (ut Sidonius Apollinaris ait) facundiæ plena, in quibus ferventis fulmen ingenii, eruperunt.

XLIX.

Oceanus testium immensus in apertum nostræ declamationis campum inundat, in quo mea jam natans oratio portum & exitum haud inveniet.

L.

Quæro abs te, moderatissime Cato, à te, doctissime Plutarche! quid vobis de hac re videatur? Profectò si vestram æquitatem atque prudentiam rectè cognoverim,

LI.

Antiquorum suffragia desideratis? en igitur vobis tenuem manipulum, quasi è spicilegio quodam feliciori & Historicorum & Philosophorum latifundiis: omnes enim opinionis nostræ antesignanos in hac arenâ succenturiandos, operæ pretium non esse existimo: neminem igitur volo, quam te (Virgilii) qui tuum ultroneus appones calculum, &, si hac ad manes tuos pervenerint uspiam, dic, quæsò, quid in hac re senseris: num &c.

LII.

Prodeunt hic multi insignes Philosophi, quorum gregem in scenam cogere, quid esse aliud, quàm inanes tragœdias excitare? ruminare illud Aristotelicum.

LIII. Ne-

LIII.

Neque eſt quòd Oratorum fores hic pulſemus domeſticatim; occurrit en nobis obviam Cicero.

LIV.

Surgat igitur aliquis ex univerſô Philoſophorum Cœnobiô, qui vobis de doctrinæ utilitate concionetur; quiſque mentes veſtras nectarea ſuæ Svadæ ſvavitate inebriare poſſit: Reviviſcas tu, Theophraſte: Eloquere, ut hi te capiant. Quid ais? dicas bonâ fide, num tu per diuturnos labores, nocturnas lucubrationes, ad tantum tam ſtupendæ doctrinæ faſtigium non emerſeris?

LV.

Cæterùm, nè ex tentâ ſegete nulla omninò aut fœcunda ſaltem meſſis fiat; ſpicas aliquot gravidas, fructuſq; ſelectos colligam. Quid enim aliud, quàm quod ego jam dico, dicturum memini Ariſtophanem, ſi inter vivos jam ſupereſſet?

LVI.

Myriades hic occurrunt. Veteranorum è Musarum castris, qui agmina nobis sua jacturi sunt. Parùm etenim in legendis Veteribus profecit ille, qui hoc non novit apud eos tritissimum. Ehodum, tu Isocrates, dic, quæsò, ingenuè:

LVII.

Sed ut fluenta Veterum, in unum quasi rivulum contraham, en uobis Aristophanem, sin mavultis Senecam, illum etiam ad hanc Spartam propugnandam evocabo, si liceat illi, bonâ cum vestrâ veniâ liberè loqui.

LVIII.

Nec de paucorum solummodò racemis vindemiam facio; imò Senatus Antiquorum universus huic sententiæ suffragatur; audite tubam Philosophorum omnium, quorum Echo nil magis ingeminat, quàm &c.

LIX.

Nostras hic partes vindicat Plato, strenuè etiam & animosè universa pro-

no-

nobis militat Antiquitas Quid tu putas, Socrates? annón tu hoc teſtaberis mecum, ô Demoſthenes? novi te velle.

LX.

Sed Socratem audite, (mei condiſcipuli) hiſce vos verbis compellantem: Macti eſtote in virtute, adoleſcentuli, & pergite, & obnixè contendite in addiſcendis literis. Quid animi vobis eſſe dicam, quod usque adeò ſegnes eſtis, in Helicona verſus conficiendô iter? num viam metuitis? num pericula extimeſcitis? Profectò cum ratione insanitis, ſi leviculas iſtas remoras, in hoc tam laudabili curſu objici patiemini.

LXI.

Hucreſpexiſſe videtur Horatius, Muſarum ille amanuenſis, cùm in hæc prorupit verba.

LXII.

Si Cicero, ille eloquentiæ parens, (quem ut Rhetorum Deum omnis admiratur poſteritas) in hoc vos alloqueretur cœtu, annón ipſius dictis obſe-

queremini? jam igitur illum hoc vos alloquentem modò audiatis placidè.

LXIII.

Sed antiquitatis panopliâ, autoritatis clypeô armati sumus, contra impetuosum stolidorum insultum.

LXIV.

Vultis testimonia? en vobis Apollinis ipsius oraculum, qui &c.

LXV.

Te M. Tull. (qui eloquentium fuisti prudentissimus, prudentium Eloquentissimus) testor, obtestor testem: eloquere, quæsò, audacter dicito; mavis, ut ego dicam pro te?

LXVI.

Audite Menandrum, cujus aureum hoc est de eruditione encomium.

LXVII.

Sed Philosophorum fores ostiatim pulsemus, ut, quid in hac re Antiquitatis senserit, indagemus, ex quorum uberibus dulcissimum veritatis hujusce nectar exsugatis.

LXVIII.

LXVIII.

Sic enim jam olim ſapientiæ dictator graviſſimus Seneca.

LXIX.

Audite ipſum Eloquentiæ lumen ac propè numen Demoſthenem. Quod vobis ſi fortè non perſvadeo, audite graviſſimum authorem, Saluſtium.

LXX.

Teſtatur id omis eruditionis penus Plutarchus.

LXXI.

Audiatur Horatius Latinæ fidicen lyræ.

LXXII

Motum eſt ex ipſo veritatis, experientiæque, ut ita dicam, ſinu depromptum Poëtæ illud.

LXXIII.

Nec ab hoc abludit Plinius, ille ſagaciſſimus naturalium rerum inveſtigator atque interpres.

LXXIV.

Atque hoc ita ſtatuit Joſephus Hiſtoricus, magnæ Vir apud omnes au-

toritatis, & totius antiquitatis egregiè gnarus.

LXXV.

Teſtimonium nobis dicet Tullius, qui in arce Eloquentiæ Romæ ſtetit, Rex Oratorum, & latinæ illuſtrator.

Formulæ poſt ſententiam habendæ.

I.

VOcem profectò dignam, quæ aureis literis in omnium nobilium, & procerum parietibus, & aularum veſtibulis inſcribatur!

II.

Dignam profectò ſententiam, quæ in omnibus curiis pignatur, in tribunalibus ſculpatur, in Juris Conſultorum veſtibulis & parietibus affigatur, Regum & Principum atriis & cancellis præponatur! dignam, quæ in omni Senatu, in Cameris, in Parlamentis, in judiciis omnibus ante oculos obverſetur, in cujus intuitu plus certè conſilii, plus conſtantiæ, plus integritatis, plus prudentiæ, quàm in omnibus aliorum voluminibus continetur.

III.

O vocem egregiam, ac verè regiam, dignam profectò, quæ in omnibus Principum armamentariis aureis literis consignetur.

IV.

Dignum meherculè sententiam, quæ non modò omnibus juridicis scholis, omnibus tribunalibus, omnibus curiis & consistoriis appingatur, verum etiam in cunctis Academiis & Gymnasiis sæpissimè iteretur, & in vestibulis ac porticibus proponatur.

V.

O in cœlò nata atque hinc profecta verba!

VI.

Quàm pium, quàm utile hoc dogma! quàm facit ad vitæ non sanitatem solùm, sed sanctitatem!

VII.

Pone mihi aliquem Sacrorum nostrorum Præsidem, quid in hac re verius, altiusque dicet?

VIII.

Aureum dogma & cupidis, curiosisque ingeniis imprimendum!

IX.

Hac sententiâ non modò verior, sed ne utilior quidem hominum vitæ reperiri ulla potest.

X.

Qua quidem ulla Philosophorum Phœnicis tam gravi, tamq; salutari oratione omnium eorum, qui excusso obedientiæ jugo, contumaces ac refractarios se præbent superioribus, noctu dieq; aures personare debebant.

XI.

Magnifica sanè sententia, & omnium altis animis & sensibus reponenda, quæ præclarè ostendit, quid &c.

XII.

Quod verissimum esse, & ipsa ratio docet & autoritas cùm divina, tum humana comprobat, & exempla quam plurimorum Principum testantur. Ad ipsam enim rationem quòd attinet, quis non videt, &c.

XIII.

XIII.

NULLA SALUS BELLO. Quô quidem omnibus perspicuum est, bellorum nobis tum fœditatem & turpitudinem, tum etiam, qui perpetuò ex illis enasci consveverunt fructus, ob oculos poni, & ab eorum studiô ceu rei non minùs pestiferæ & noxiæ, quàm scelératæ & impiæ omnes sanæ mentis homines revocari.

XIV.

MENTIS VENUS IMPROBA CLADES. Quô edocemur, nihil flagitiosius, nihilque nocentius esse. quàm impuras fœdasq; corporum libidines, easque idcircò, non aliter ac pestiferum venenum, cavendas & fugiendas. Quemadmodum enim, &c.

XV.

Tolle moras. Quo, ut puto, adolescentes admonentur, ut discendi occasionem & commoditatem avidè & alacriter amplectantur atque usurpent. Nam si oblatam temerè negligent aut prætermittent, ablatam frustrà requirent aut desiderabunt.

XVI.

XVI.

Amat victoria curam. Monet, sine curâ & vigilantiâ, sine laboribus & sudoribus, sine molestiis & difficultatibus nemini mortalium glorioſam victoriam contingere

XVII.

Nullis fraus tuta latebris. Hoc dictô monemur, ut ab ineunte ætate nos ad simplicem veritatem assvefaciamus, ab omni fraude proximo noxia abstineamus, cùm certò sciamus, Deum & videre fraudem, etiamsi infinitis latebris occultetur, & eam in lucem protractam tandem severè punire, juxta dicta: *Cernit Deus omnia vindex.*

XVIII.

Quibus verbis quid aliud censeam nobis adumbrari, quàm quòd sine ullâ verborum circuitione nobis quotidiè inculcatur, nos naturâ esse tanquam testudines, terræ filios, crassos, rudes, hebetes: at librorum assiduâ tractatione, & quasi inculcatione ita expoliri & exacui, ut nihil sit tam reconditum,

quò

quò non ingenii acie penetremus, nihil tam sublime, quò non pervadamus, nihil tam arduum, quòd aliis sapientiæ & virtutis instructi non superemus.

XIX.

Virtutis merces sudore paratur. Cantatissima omnium scriptorum bonorum literis admonitio, quâ docetur, labore esse ad virtutem & bonas res omnes viam quærendam.

XX.

Hæc sententia quid nos moneat, perspicuum est: nimirum, quòd ab ipsius naturæ constitutione hoc sit decretum, laborem nobis non esse detrectandum, sed capessendum, amandum, sustinendum: mollitiem contra modis omnibus vitandam, si bonarum rerum participes esse, si finem eum, qui est hominis proprius, & à quo ille perficitur, consequi volumus.

XXI.

Sapientia flos continuotur urbium & familiarũ, non citharâ, atq; cantibus. Qui

bus

bus verbis Euripides eorum vitam notat, qui voluptati & otio inerti indulgent; qui à civium cœtu arcendi sunt, perindè ut membrum putre medicus à corpore amputat, ne sanæ partes inficiantur.

XXII.

Acuit ut penetret. Quo admonemur, nihil esse tam altum, nihilque tam durum & asperum, quo ingenii humani vis & acumen penetrare non possit. Sed ut ferrum per se rupes & saxa incidere & insecare non potest, nisi prius acuatur: ita ne ingenium rude & incultum res subtiles atque reconditas vi suâ perspicere, earumque difficultatem superare potest, nisi doctrinâ & labore, tanquam duabus coticulis probè, exacuatur.

XXIII.

Splendescit in usu: Hoc nihil aliud innui & indicari videtur, quàm exercitatione, usuque res cunctas & meliores & splendidiores fieri: Nam &c.

XXIV.

XXIV.

Quo pictô antiquitas nihil aliud, quàm turpium voluptatum, imprimis venerearum illecebres ac pestes significare, & cùm omnem ætatem, tum maximè adolescentiam de iis cavendis fugiendisque admonere voluit,

XXV.

Cujus dicti interpretatio, quàmvis eam ingenii, & doctrinæ requirat copiam, à qua me longissimè abesse vel primus aspectus mei cuilibet judiciô esse possit; tamen impositam mihi explicationis hujus provinciam timidè quidem, sed libenti tamen animô, suscipiam, & qualecunq; hoc meum parendi auctoritati Rectoris studium, apud lectissimam hanc auditorum coronam me excusaturum esse, de humanitate ac benevolentiâ illorum mihi pollicebor.

XXVI.

Quo dictô monemur, ut non modò inter vastissimos fluctus, interq; horribilia omnis generis calamitatum fulmina

mina & tonitrua; sed etiam inter periculosissimos vitiorum scopulos, & in extrema ac deploranda prorsus vitiorum & morum corruptione & depravatione cursum rectum teneamus.

XXVII.

Non ex sapientiæ lacunis, sed ipsô fonte limpidissimô & amœnissimô oraculum illud M. Antonii hausturn est, quo disertos vidisse multos se; eloquentem neminem acutè pronunciavit. Quod si paulò altiùs repetimus, eum, qui coràm mediocriter doctis hominibus commune juxta vulgi judicium venustè satis ac luculenter fari posset, disertum; qui verò ipsas rerum scaturigines ingenii acie conquisitas haberet, omniaque miraculosius & magnificentius illustraret, augeret, atque locupletaret, solùm eloquentem existimâsse comperimus.

XXVIII.

O vocem, in concionem mortalium mittendam, in cujus verba Principes Regesque juramentum faciant, planéque conspirent! XXIX.

XXIX.

Aurea profectò sententia, omniumque bonorum animis infigenda, vitâ & moribus exprimenda.

XXX.

Præclara me herculè, nec à Philosophô gravior expectanda sententia.

XXXI.

Digna sanè ingeniô tanti Philosophi fabula! qua declarare voluit, nullos cœtus hominum absq; pudore & revarentiâ, hoc est, fugâ turpitudinis & studiô honestatis atque justitiæ conservari posse.

XXXII

Argumentum verô aurô contrà emendum, & longè dignissimum, in quo plurimum & temporis & operæ collocetur.

XXXIII.

Hoc dictô vix quicquam certius tulit Phœbi cortina.

XXXIV.

Verbis stricta, ac pondere gravis sententia.

XXXV.

XXXV.

—— Ocedro vox incidenda! quid autem Cedro? Cœlo ipsi ——

XXXVI.

Sententia verbis aut literis quidem exigua, sed doctrinâ fœcundissima, & affectu operosissima, & usu saluberrima.

XXXVII.

Quis tibi, Plato, pulcherrimam hanc cogitationem immisit? quam sublime animus tuus ascendit, cùm hanc palmarem sententiam protulisti; Tetigisti rem non acu, quod dici solet, sed acie, sed acumine mentis.

XXXVIII.

Perpulchra sententia, & Ambrosianô illô pectore digna.

XXXIX.

O præclara & veritatis plena carmina! Delphicô, imò quovis oraculô veriora verba, non chartis, sed marmori inscribenda: non libellis, sed æneis monumentis credenda; non levium, & oblivioforum hominum mentibus, sed æternæ memoriæ committenda.

XL.

XL.

Quæ sit sententia Græci carminis, quod vice proverbii â multis usurpatur δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδόνιπτρον, non satis se Græci enarratores expediunt: mea verò sententia est, nos eo versiculô admoneri, ut exornemus & excolamus, si qua sunt in nobis honestamenta à naturâ tributa, quòd si qua vitia molita sunt, procurandum, ut ea quoque diligenter eluamus: hoc enim est dextro pedi calceum inducere: sinistrum verò εἰς ποδόνιπτρον, ist est, in pelvim immitrere. XLI.

Prorsus aurea γνώμη & digna, quæ imis reponatur sensibus, ideoque à præstantissimis auctoribus valdè celebrata. Hanc, cùm Euripides Athenis Orestem fabulam doceret, Socrates dicitur revocâsse, adeò Philosophica visa est Philosophiæ parenti. Usurpant hanc Romani voluptas, theatri Musarumque deliciæ, Plautus.

XLII.

Digna certè verba, quæ bonorum stu-

studiorum consecranti, quotquot virtutis & honoris stimulis percelluntur, etiam atque etiam animis affigant.

XLIII.

Egregia & verè regia Imperatoris optimi sententia: quam utinam illi omnes, qui Justinianeas leges amplexantur, quiq; ex illis dignitates & honores consectantur, imò cuncti, qui in literarum studiis & honestatis officinâ versantur, non modò aureis literis in pariete descriptam, sed animô altissimè infixam sensibus, impressam, cogitationibusq; assiduis insculptam haberent? spes longè tum nobis maxima foret, omnes Reipublicæ partes fore feliciores.

XLIV.

Regalis sanè sententia, & ipsius sapientiæ oraculô formata.

XLV.

O ex ipso verè sacrariô prolatam sententiam!

XLVI.

Volat irreparabile tempus: Cujus dicti

cti apud nobilissimos quosq; Philosophos tanta visa fuit dignitas, ut in ejus explicatione & illustratione ingeniô suô defici infantiam suam fateri non dubitârint: unde minus mihi homini adolescentulo vitiô verti poterit, si exspectationi augusti hujus consessus non usquequaque satisfecero.

XLVII.

O dictum aureum veræ sapientiæ! Quis mihi jam acumen mentis ad hæc penitùs perspicienda suppeditabit? quis ingenium atque judicium ad hæc rectè enucleanda sufficiet? Certè duces hic maximè indigeo; tentemus tamen: audentes quippe adjuvat ipse Deus. Libet hic paulum cornicari, rhetoricari, inquam, atque per ὑστερον πρότερον ab extremô initium facere.

Formulæ proponendi similia.

I.

QVemadmodum vulgò videmus, tenuissimum quemque de plebe abundare liberis, qui ad-

ctâ ad paternam egestatem inertiâ o-
ftiatim mendicantes, annonam red-
dunt cariorem: sic certi homines in
summâ tenuitate ingenii longè pluri-
mos animi fœtus edunt.

II.

Ut qui sunt langvidiore stomachô,
& insolentes navigationis, postquam
navim conscenderunt, & paululum
profecti sunt, nauseant, requiruntque
continentem: sic ii, quibus imbecillæ
vis ingenii, si longiùs progrediendum
est, statim animô linqvuntur, ac in
portu penè deficiunt, ut Galbæ Can-
therius.

III.

Sicut ab arbore nemo svavem & mi-
tem decerpit fructum, nisi hic solis &
temporis beneficiô maturuerit: ita
nullus artis usum & fructum quis-
quam degustat, nisi ejus animus di-
scendô exercendoq; emollitus matu-
zuerit, & per experientiam sux artis
materiam subegerit, atque decoxe-
rit.

IV.

IV.

Quemadmodum poma ex arboribus, si cruda sint, vi avelluntur; si matura & decocta, decidunt: sic vitam adolescentulis vis aufert, senibus maturitas.

V.

Ut nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igni ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim Oratoris parata, quæ possit incendi, nisi ipse ad eam inflammatus & ardens accesserit.

VI.

Ut fruges aëris temperie & liquidiore cœlo uberius proveniunt; haud secùs bonæ artes, & eximia ingenia benignitate, munificentiâ & humanitate superiorum evocantur. Contrà verò sordibus & morositate eorum, qui ad clavum imperii sedent, restringuntur & langvescunt.

VII.

Ut nautas tempestatum, & medicos

juvat meminisse morborum: sic dulcis cis erit aliquando in studiis præteritorum laborum recordatio.

VIII.

Ut palma, dum tenera est, gelu facillimè uritur & perit: Sic puer, qui cupiditatibus suis relictus.

IX.

Sieut generosum eqvum in stadiis currentem, aut canem aliquem feras insequentem, citatissimô quidem cursu id, quod faciendum illis incumbit, perficere videmus; acclamatione tamen & ποππυσμῷ hominum accedente, utrumque quàm velocissimê cursum intendere: eodem modô juventus studiosa in literarum studiis arripiendis occupata, & ad literarum scopum magnô cum labore consequendum, suâ sponte incitata, nescio, quomodò generosiores impetus mente concipiat, & alacrius in iisdem pergat, si industriam & assiduitatem suam à præstantissimis viris tacitâ acclamatione & remuneratione quadam laborum

rum suorum probari, & ad altiora suscipienda, perficiendaque se inflammari animadvertat. X.

Sicut, qui in sole ambulant, etiamsi non in illum ambulant, colorari tamen necesse est: ita fieri non potest, quin ex conversatione seniorum meliores & prudentiores que reddamur.

XI.

Ut segetem sine loliô & zizaniis vix invenire licet: Ita omnibus ubique locorum discentium cœtibus suum, quoque lolium, & veluti fucos quosdam ignavos perpetuò admixtos esse videas.

XII.

Perleganter Lucretius:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant:
Omnia nos itidem depascimus aurea dicta.

XIII.

Ut apes non tantùm summâ sedulitate ex lectissimis quibusque flosculis svavissimos liquores colligunt, sed etiam dulcissimum mel ex iis conficiunt:

Ita ſtudioſi adoleſcentes non præcepta duntaxat optimarum artium, & ſalutares quasque doctrinas à præceptoribus traditas percipere, memoriæque infigere; ſed omni quoque ſtudiô elaborare, ut quæ vel audiendô vel legendô didicerunt, ea velut in ſuccum & ſangvinem convertant, tandemque ipſi ex ſeſe aliquid gignant, quò induſtriam & doctrinam ſuam eruditis hominibus probari poſſint.

XIV.

Sicut arbores quædam, aliaque nonnulla plantarum genera, quò præſtantiores ferre ſolent fructus, eò ferè amariores habere ſolent radices: Ita quodvis bonorum genus, quò divinius eſt, eò difficiliorem parandi illius rationem eſſe, Deus Opt. Max. voluit, nimirum, ut homines digni tantùm, id eſt, laboris & induſtriæ amantes, illô potiantur, nihili verò homines, & qui voluptatum turpium ſpurcitie irretiri, fragrantiſſima honeſtatis & doctrinæ liberalis myrotheca poſtponere ſolent

lent, ab eodem consequendô arceantur.

XV.

Ut nullum invenitur malum Punicum, in quo non sit aliquod granum putre: Ita in mortalium vitâ præter virtutem nihil dari potest, quòd careat omni labe & calamitate, quòd sit perpetuum & firmum, quòd nulla tempestas agitet.

XVI.

Quemadmodum satis non est, oculos habere acres atque acutos, nisi splendore solis omnia diluceścant: sic fruſtrà, ratione & consiliô valemus atque vigemus, si gratia divina, quæ mentis nostræ lumen est, à nobis abscedat.

XVII.

Ut vinolenti homines injuriæ locô habent, si in ipsorum helluationibus à vinô abstinere velis: ita quicunque rectum vitæ iter insistunt, propter morum differentiam improborum odia experiuntur.

XVIII.

Sicuti multò nocentior adulatoris blanditia est, quam aperti convitiatoris maledicta: Ita vitia quoque, dum vel sub virtutum nomine obrepunt, vel voluptatis & dulcedinis illecebra venenum suum occultant, pestem & perniciem multò majorem; quàm ullum externæ adversitatis calamitatisvé genus, inferunt.

XIX.

Ut gypsô madidô statim utendum est, quòd celerrimè siccetur & indurescat; sic statim fingenda moribus ætas rudis, priusquam durior non admittat fingentes.

XX.

Non primum obrepentibus tantùm occulteque insinuantibus se vitiis laboris & industriæ perseverantia aditum intercludit; verum etiam, si jam antea fortè animis insederint, paulatim rursusque ea expellit, atque exterminat, contra verò amabili Virtutis splendore eosdem illustrat atque exornat;

ornat; quo nimirum modò assiduus ferri usus & tractatio à rubiginis immunditiâ id non modò conservat, tutumque præstat, sed etiam inhærentes jam sordes illas abigit, & nitidum oculisq; gratum illi splendorem conciliat.

XXI.

Ut, qui in solem venit, licèt non venerit, ut coloretur, coloratur tamen, & qui in ungventaria taberna paulò diutiùs consedere, odorem loci nec opinantes secum ferunt; sic qui cum sapiente consvetudinem habent, etiamsi id non agant, meliores tamen redduntur.

XXII.

Ut speculum corpus læve admodum & politum, quasvis oblatas figuras recipit, & repræsentat, deformes æquè ac pulchras: Ita adolescentum animi, quibuscunq; artibus imbuti fuerint, seu bonis, seu malis, eas exhibent, sic ut evadant boni, si bonis & honestis exerceantur studiis: mali contrà, si malis artibus à teneris adsvescant.

XXIII.

Ut apum labor non est inanis, sed aërei melis cœlestia dona gignit, mel autem & ipsis apibus usui est, & insuper ad hominum corpora alenda atque sananda multum prodest: Ita noster, quem in studiis literarum consumimus, labor nequaquam est irritus & supervacaneus; sed olim dulcissimos gignit fructus, ut omnibus vitæ humanæ partibus, atque ordinibus, utiliter & laudabiliter illi præesse possint, qui in scholasticis alvearibus, tanquam laboriosæ apiculæ, specimina quondam industriæ dederunt.

XXIV.

Quemadmodum in militia multa æquo animo perferentis, qui & prædam divitem, & victoriæ gloriam, & insignem illam lauream cupit deportare: Ita & nos tanquam in literatâ militiâ tirones & quidem studiorum labores & molestias conantster perferamus, certâ spe freti, fore, ut sua olim, eaque svavissima præmia laudato tirocinio consteni.

XXV.

XXV.

Ut ager nisi probè colatur, sentibus ac tribulis obducitur: sic animus tenellus, nisi rectè instituatur, facillimè vitiis occupatur atque corrumpitur.

XXVI.

Quemadmodum industriùs agricola agrum noxiis herbis repurgare solet: sic disciplina animis adolescentum pravas opiniones, & vitiosas cupiditates eripit, omneque animi desiderium ad virtutem & sapientiam traducit & assvefacit.

XXVII.

Ut avicula, quamdiu in caveis inclusa tenetur, à periculis tuta & tecta est; at simul atque evolaverit, insidiarum telis sese exponit, atque vel cæteris volucribus præda fit, vel ab aucupibus capitur, & obtortô collô necatur; si adolescens, dum honestæ disciplinæ finibus coërcetur, à vitiis plerisque & flagitiis abstinet: quàm primum verò, convulsis disciplinæ officiique repagulis, solutè libereque versari cœpe-

rit, ſtatim corruptelarum illecebris irretitur, variis erroribus, flagitiis & periculis implicatur.

XXVIII.

Ut vaſa liquores non admittunt, antequam aër ex iis emigret: ſic quoque nec animus noſter ſalutaribus doctrinis imbui poteſt, niſi vana perſvaſio prius expurgetur atque dimoveatur.

XXIX.

Ut Sycomorus, verberibus pulſata & lacerata, fructuoſior evadit, ejusque pomum cultrô inciſum, crudoq; ſuccô levatum, matureſcit atque dulceſcit: ſic ingenium, quantumvis hebes & obtuſum, ſi laboribus acriter exerceatur, tandem eruditionis ac virtutis maturitatem quandam conſequitur, hominumque generi fructus uberes, jucundos & ſalutares affert.

XXX.

Quemadmodum navis, licèt omnibus ornamentis & inſtrumentis, nautis etiam peritiſſimis exornata ſit, niſi curſum navigationis ad rationem tem-

tempestatum dirigat, portu facilè vi ventorum excluditur & naufragium facit: Ita studia nostra, nisi desuper Spiritus Sancti flatu regantur, non solùm vana & inania sunt, sed etiam multorum malorum causa existunt.

XXXI.

Ut Agricolæ, qui plantaria habent, novellas stirpes transferre è natali suô solô in aliud solent, ut laxiùs lætiusque crescant: sic adolescentibus, ne genitali solo affixi esse videantur, transferri interdum expedit, ut translati, sub insolitô docentium supercilio uberiùs in virtute ac doctrinâ proficiant.

XXXII.

Doctrina tanquam gladius est in manu furiosi, nisi dux & imperatrix vitæ mortalium, recta mens, rationis clavum teneat.

XXXIII.

Sicut in aquâ pisces ludunt, & in aere ramisq; arborum aves insidiarum securæ; at illi hamô capiuntur, istæ

tendiculis, aut viscô: Si fit nobis, & aliquem semper è magnô illo hominum grege venatur, tenet, capit nigra illa Dea, mors.

XXXIX.

Ut enim pluvia lenis & modica facilius in terram penetrat, & humectat: sic studia in animos.

XXXV.

Et ut illi, qui venantur, faciliùs fallunt feras, si aliud agentes id faciant: Ita non rarò maximè proficiunt illi, qui aliorum opinione, quòd aliud interdum agant, minùs proficere videntur.

XXXVI.

Ut flumina per se dulcia, cùm in mare venerint, salescunt: sic adolescentes haud mali, si in malorum venerint consortia, tactu inquinantur & mixtione.

XXXVII.

Ut adamas lapis omnium pretiosissimus, nec igni, nec ferrô, nec ulli violentiæ cedit, nisi sangvis hircinus recens

cens & calidus adhibeatur, quo tandem mirandô modô frangi atque arteri paulatim scribitur, autore Plinio; ita ingenium humanum, præcelens quidem, ac multiplici rerum cognitione ab opifice initiô instrictum, per lapsum demum adeò stupidum, distortum, indomitum, atque intractabile evasit, ut nisi doctrinæ & institutionis liberalioris quasi succô, ejusque vi admirabili, per præceptores, tanquam malleos novo operi subindè instantes, recens adhuc subigatur, dometur & comprimatur, haud unquam mitescat, vel ad frugem aliquam perveniat: sed, quod dolendum, in deterius potiùs quotidiè vergat, ac prolabatur.

XXXVIII.

Quemadmodum enim non ex auratô frenô, aut ephippiô, generosi equi bonitas æstimatur: ita nec homines exteriori habitu judicandi sunt, sed quos virtute inflammatos ad veram gloriæ fastigium adspirare cognoscimus;

mus; in quibus interior pulchritudo omni numerô lucet, hoc laudendos, amplectendosq; ſtatuamus.

XXXIX.

Ut enim ignis non tantùm aqua ſubjecta, ſed etiam nullô pabulô ſuppeditatô extingvitur: ſic hominibus non modò vi illata, ſed & non datis, quæ ad vitæ conſervationem neceſſaria ſunt, vita eripitur.

Formulæ affectus concitandi, exclamandi, interrogandi.

I.

VOs eſtis, quos adhortor, ætate vixdum pueri, in artibus ſtudioſi; obnixè igitur vos obteſtor, ut macti ſitis in ſtudiis, ut ad doctrinam contendatis? hactenus enim ſatis diu inerti contabuiſtis otiô; jam igitur, imò jam properandum eſt: nam quæ non præleminantur, dum ver ætatis viget, ſine dubiô non metentur, cùm Autumnus advenerit; qualem facitis ſementem juvenes, talem exſpe-

ctate

ctate messem senes? adeone verò exspectetis vos lætam honoris messem, & dubitatis fementem facere laborum, atque impendere curam?

II.

Nihil vos artium optimarum studia, nihil vos eminentium Scriptorum præcepta, nihil exempla illustrium, Heroum, nihil splendor præmiorum, nihil denique parentum vos movebit exspectatio? ô exuite, quæso, pravam istam de literis, de musarum sacris & asseclis opinionem; & magnorum Principum regiam servitutem nolite ambire; ex quorum vel tantillâ iracundiæ frontis nubeculâ tempestas aliquandò oriatur tanta, ut vitæ simul & fortunarum omnium faciatis naufragium.

III.

O si qua Pitho, si qua Svada, si quis flexanimus Mercurii genius labiis jam insideret meis, quo agitante incalescatis! ubi jam sunt illi, qui fulgurare, qui hominum mentes dicendô obruere atque

que invertere consveverunt? Ubi est ille ferreorum laterum Demosthenes? ut &c.

IV.

Quod saxum mecum non ploret? qui parietes non singultiant, cùm adolescentulos, optimâ indole præditos, summâ spe fultos, turpissimæ sese Vacunæ prostituisse videam? Quid tu cogitas, ô Sol! qui cuncta intueris & lustras; cui nulla unquam ab ortu mundi contingit quies? Quid tu facis, ô Luna! quæ menstruas tuas peragras vicissitudines, & tamen homines tam somnolentos, tam socordes inspicias, tam ignavas pecudes? Cur, quæsò, non perdis segnem hanc istarum colluviem, fruges tantum natam consumere? Date veniam, Auditores! date (inquam) veniam, si in fucos & ignavum hoc pecus vehementiùs intonem, quibus in vivis verendum est; ne scholæ ubique omnes canitiem Musarum, suique luminis velut Ecclipsin videant.

V. Dia-

V.

Dianæ faciem è marmore sculptam, in Chio positam commemorat Plinius, cujus vultum intrantes tristem, exeuntes hilarem esse judicabant; istam Dianam doctrinam esse putate, quæ subdifficilis etsi sit, & vos (quasi objectô Meduſæ capite) primô in limine terreat, animos tamen supra humanos assumite, & objectô heroicæ vestræ tolerantiæ clypeô, difficultatis omnis impetum invictô sustinere animo discite viriliter.

VI.

O vos (mei svaviſſimi commilitones) quàm felices estis! ô si vestram videre velitis felicitatem! habetis enim adolescentiam florentiſſimam, ver ætatis illibatum; molles jam vobis sunt articuli, rubicundæ genæ; flos juventutis, spes annorum longa, spiritus integri, mens vegeta, corpus sanum & succi plenum; cur igitur animos vestros, velut mare concitatum, in undas decumanas fluctuatim æstuare & assurgere

gere non video, velisque omnibus affectum expansis intumescere, & quasi æstiô quodam divinô percitos, ut ad summum tandem Heliconis fastigium perveniatis?

VII.

Benè apud se actum mercator putat, si post decennem navigationem, post mille vitæ discrimina, rem sibi comparaverit paulò uberiorem; & nos (pavidi animantes) primô impetu omnem abjiciemus spem? Alexander, generosi homo spiritus, plures indoluit, non esse mundos, metuens non labores, non prælia, non torvam mortis faciem; sed ne heroica sua fortitudo marcesceret sine adversariô. Pudeat vos igitur, qui stipendia sub Minervâ facere videmini, ut ab itinere ad Parnassum difficiles pauculæ vos retardent spinæ, aut præruptus Heliconis ascensus; imò potiùs immensum pectore robur aliote, & obvias quascunque difficultates indomitô devorate & devincite animô.

VIII.

VIII.

Quamobrem, (*a*) ut videmus herbam anthemidem, quò magis deprimitur, eò latius diffundi, ut accepimus arborem palmam, quò gravius oneratur, eò fortius reniti; ut ager Narnienſis (autore Marc. Tulliô, ſiccitate ſit humidior; ut ignis in Nymphæo (ut tradit Plinius) imbribus fit ardentior; ut leo, ſi vulneretur, inſtat vehementiùs; Antæus, poſtquam dejicitur, pugnat violentiùs; ungventum, cùm agitatur, olet fragrantiùs; aromata cùm atteruntur, ſpirant odoratiùs; ita (Adoleſcentes chariſſimi) faciendum eſt, ut in virtutis curſu, quò magis retardamur, eò magis incitemur, ſi fractus illabatur orbis, impavidos feriant ruinæ.

IX.

O ſi Pericles hic adeſſet, qui fulgurare, tonare, miſcere Græciam dictus eſt! O ſi flexanima Piſiſtrati Svada meis pauliſper inſideret labris, ut quaſi fulmi-

(*a*) *Hanc ad Similia redue.*

minibus ejus noſtra jam concitata rapereretur oratio!

X.

Quid? ſurdisné & obſeratis auribus hæc inculco? Cyclopas vel homines, vel ſtudioſos affari videor? annon perpenditis, quàm ſpecioſa, quàm cœleſtis, quam divina quædam res ſit mens ornata diſciplinis variis? an putatis, omnigenam literarum cognitionem vobis oſcitantibus in ora cœlitùs delapſuram venturam in ſinum dormentibus?

XI.

Ah evitanda eſt improba Sirenis deſidia; procul abſint mollia, facilia, blanda; dura repetamus, difficilia ſuſcipiamus, per rupes, per ignes, divas Muſas inſequamur.

XII.

Agite verò, nobilior propago juvèntutis, quos dulces Muſæ numine afflarunt ſuô; quibus corpus omni ardore tremit; quibus ignea vis in pectore exarſit; quibus flamma in præcordiis mi-

micat: agite, inquam, usquequo desidebitis in pulvere ignavi?

XIII.

Velit aliquis è vobis triumphum? vincendum est: Velit coronam? certandum est; præclarus procul dubiò certator, qui sine sudore vult coronari! delicati nimis adolescentuli, qui aurum sitimus, nec tamen effodere, qui portum exoptamus, nec tamen volumus enatare, sic enim laborum aculeis, tanquam Hydræ sibilis frangamur animô, næ nos inertes, non milites, sed fugitivi! non Hercules, sed Thrasones ex Apollinis castris exactorandi!

XIV.

Demosthenis olim in incunabilis & fascis vagiebat eloquentia, quæ in eam postea excrevit magnitudinem, ut tota eum admiretur posteritas; quidni igitur & vos excutiatis ignaviam? hoc enim de vobis certè scio, præsagio, affirmo, vos doctrinæ pervenire (si vultis) posse, ut vos non homi-

mines, sed divos terræ olim videatur peperisse.

XV.

Immarcescibilem famæ coronam merebimini in omnium seculorum sempiternitates capite vestræ imponendam.

XVI.

Ludemus igitur nos, & quasi in rosis & violis sedentes, omninò nugabimur otiosi? sic fructum nullum, gloriam nullam, nullum honorem consequemur Margaritas eruunt eximô fundô maris aurum è terræ visceribus fodiendum est: Errat enim, longè errat, quisquis honorem in putidis otii puteis latere putat; ditioris venæ est defæcatum hoc obryzum; ab altiore fonte pura hæc dimanat aqua.

XVII.

Ut nam jam, Auditores, utinam, hac in re aliquantisper haberem Platonis copiam, acumen Hyperidis, Varronis doctrinam, Hortensii suavitatem, memoriam Simonidis, actionem Roscii, & si quid

si quid uspiam in Helicone sit eloquentiæ! ut in hanc vos sententiam vi Demosthenis efficaciter impelleret, cincinnis Isocratis eleganter eliceret, lacertis Ciceronis violenter nostra protraheret oratio.

XVIII.

O si lex Lacedæmoniorum revivisceret denuò, qua otiosos voluerunt semper esse inhonoratos! sed eò jam (eheu!) prolapsi sumus dementiæ, ut, licèt ramos atque fructus arborum, honores scilicet Reipublicæ, magnifaciant omnes, radices, tamen & stirpes (quæ sunt labores & vigiliæ) diligant pauciſſimi.

XIX.

O veritatem, omnium virtutum virtutem primam & maximam! quis tuæ dignitati enarrandæ par est? Cui Virtutum tu æquiparanda? justitia, constantia, modestia tu ipsamet es: tu reliqvum omne, quod virtutis appellationem sortitur, infinitis parasangis post te relinquis. O virtutem digniſſi-

O

gnisſimam! O pretioſisſimam, ô omnibus hominibus amplectendam Virtutem! O magnitudinem meritò admirandam præſtantisſimorum fructuum, quos parit veritas! O maximam illius præſtantiam! O veritatem rem optimam maximam! tuum fundamentum divinum planè & ſupernaturale! tui fructus multi ſunt & immenſi!

XX.

O ſcientiam Oratoris admirabilem! O ingentem Oratoriæ vim, ejusq; cognoſcendæ neceſſitatem viro politico maximè neceſſariam!

XXI.

O quàm hic acerbum invigilare ſtudiis, & à voluptate deciſcere! O quàm grave ad lichnum meditari, in multamque noctem Vino Venerique indulgentium conſortia evitare! O quàm difficile, ſtudiis tantùm tribuere, ut ea propter & cibi & potûs, ſomni & valetudinis jactura levis cenſeatur; præſertim ſi exemplis etiam deterreantur

eo-

eorum, qui, Musis seipsos cum vitâ devoventes, sub media industriæ & laborum mole succubuerunt, id quod Theagi apud Platonem eveniſſe certum est, qui Philoſophiæ indefeſſo adhærens, ſapientiam inveſtigando in medio curſu (dolendum hoc!) interiit. O quàm ingratus! ut etiam, licèt quis

-- -- *mediis tranquillus in undis*

videatur, non abs re tamen labaſcere queat.

XXII.

O fructus ſtudiorum quàm dulces! O quàm ſudorum & anteactorum laborum ſufficientes compenſatores!

XXIII.

O rem præclaram *Concordiam!* quàm verè tibi illud Regii Prophetæ accinere poſſumus;

Nihil charitate mutuâ fratrum, nihil jucundius concordiâ;
Non aura ſuavis balſami, cum funditur
Aronis in ſacrum caput.
Et imbre Cœlo proluens barbam & ſinus

Limbum pererrat aureum:
Non ros tenella gemmulis argenteis
Pingens Sionis gramina,
Aut verna dulci inebrians uligine
Hermonis intonsi juga.
O Concordiam, rem præclaram!

XXIV.

O eloquentiæ vim incomparabilem! Tuô beneficiô homines ab errore ad rationem, ab ignorantiâ ad eruditionem, à crudelitate ad humanitatem, ex tenebris denique ad lucem perducuntur: tuô beneficiô, qui patientes tibi præbent aures, de rebus optimis erudiuntur: tuô beneficiô hi, qui Oratori dant operam, non solùm maximâ delectatione, quam ex cognitione rerum eximiarum capiunt, perfunduntur; sed simul quoque à cupiditatibus revocantur, & ad virtutum studia impelluntur: ut verissimè à Senecâ dictum sit, eum, qui Eloquentiæ ornamentis se instruxit, tribus modis homines aggredit aures penetrandô oculos demulcendô, animos invadendô.

O Elo-

O Eloquentiæ vim incredibilem, quæ tantùm in animis hominum potes, quantum vis nulla potest!

Formulæ abrumpendi, vel, si mavis, concludendi.

I.

QVæ cùm ita sint, cumque tanta strenuis ac bonis præmia proponantur: agite dum, ô commilitonis charissimi, nos quoque, socordiâ omissâ, mentes animosque nostros expergefaciamus, virtutem, industriamq; exacuamus, deniq; labore, diligentiâ, navitate aliis disciplinæ simus. Quod si fecerimus, de victoriâ in hoc literariô certamine adipiscendâ cur desperemus, causa non erit, &c.

II.

Quare si tributam nobis ab ipsa rerum naturâ dignitatem & decus tueri, si contra summum decus & infamiam, ob turpissimam à creationis nostræ lege degenerationem effugere, si item morum perniciem, facultatum pe-

ſtem, ſi denique corporum, atque animorum præſentiſſimum exitum à noſtris noſtrorumque capitibus depellere cupimus; age non modò omnes conatus, conſiliaque noſtra, togæ & pacis, non verò belli & armorum, ſocia eſſe velimus: ſed etiam celebrandum Deum pacis & tranquillitatis omnis, omnisque inde efflorescentis proſperitatis benigniſſimum datorem ex intimô cordis affectu veneremur, ut dulciſſimæ patriæ noſtræ pacem in perpetuum ſtabilire ac tueri, & verò turbatores illius omnes, propter ſanctiſſimi nominis ſui gloriam, potenter refrænare, & compeſcere, & denique noſtrorum oblitus ſcelerum, meritique furoris, in vicinorum quoque regnorum, ſub hujusmodi miſeriarum mole graviſſimè preſſorum, finibus, Aurea ſublatô pacis dare fœcula bellô clementiſſimè dignetur.

III.

Quòd quidem iter vitiorum ne inſiſtamus; pergamusvè, audiamus eun-

eundem Epicharmum revocantem: ac si cuique nostrûm inclamantem Ὦ πόνηρε, μὴ τὰ μαλακὰ μώσο, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς; O miser, noli quærere mollia, ne dura consequaris. Qua quidem veluti gemmulâ, quæ dixi, obsigno.

IV.

Quæ cùm ita sint, cumque artes in animô nostrô insint, & nec incendiô, nec naufragio perire possint, certissimumque quæstum præbeant, rectè tandem concludimus, artes homini præstantissimas & esse videri debere possessiones.

V.

Nunc tandem, quod unum restare videtur, Deum oremus sobrietatis & autorem & fautorem, ut suô nobis spiritu adsit, qui mentem nostram ac sensus ita regat atque gubernet, ut in totâ vitâ nostrâ sobriè, pieque degamus, & hac corporis mole tandem exuti, & liberati, sempiternâ cum ipso lætitiâ perfruamur.

VI.

Quæ cùm ita sint, Auditores, constetque inter omnes, nihil nec tetrius, nec fœdius, nec nocentius, nec Deo, laudatissimisque viris odiosius esse libidinis intemperantiâ: contraque nihil melius, nihil Deo, bonisque viris acceptius esse castitate & pudicitiâ, pro viribus sanè eniti ac elaborare debemus, ut illam, tanquam capitalem pestem omniumque flagitiorum fermam, detestemur ac fugiamus; hanc autem, veluti salutare remedium, omniumque virtutum limpidissimum fontem, expetamus & sequamur, admoniti hac sententiâ: *Mentis venus improba clades.*

VII.

Quod cùm ita sit, vitium illud teterrimum, quod sententia nostra taxari intelligimus, totis animis aversemur, neq; nobis ipsis nimium blandientes, pennas, ut ajunt, extra nidum extendamus, sed errata nostra, ficubi impingimus, nobis ostendi, eaq; redargui & corri-

corrigi patiamur, ut sic assvefacti, tantô facilius aliquandò Dei gloriam propagare. Ecclesiæ & Reipub. salutem provehere, patriæ commodis inservire, parentibus denique nostris, & præceptoribus, pro fideli institutione debitas gratias persolvere possimus.

VIII.

Quapropter etiam atque etiam providendum atque annitendum nobis est, ut flosculos adhuc vigentes carpamus, hoc est dicendi occasionem divinô munere nobis oblatam, ne negligamus, sed obviis, quod ajunt, ulnis eam amplectamur, & omne tempus ætatis nostræ florentis, omne otium, omnemque vitam ingenii in virtutibus, sapientiæque studiis consumamus, dum aliquandò illucescat ille dies, quò parentibus & patriæ ornamentô & emolumento esse possimus.

IX.

Quamobrem totâ mente in hanc curam & cogitationem incumbamus, ut quantum alii tribuunt in tempestivis

conviviis, quantum aleæ, & quantum pilæ; tantum nos ad ſtudia continuanda ſumamus! ſic enim fiet, ut inter periculoſiſſimas vitæ hujus agitationes & incommoda fluctuantes, naufragium tamen evidemus, tandemque ad exoptatum ſtudiorum noſtrorum portum, magnâ cum parentum & propinquorum voluptate, quàm feliciſſimè deferamur.

X.

Quoties igitur hæc verba: *Amat victoria curam*, legemus, toties moneri nos cogitemus, ut nos omni genere Philoſophicorum armorum præparemus atque inſtruamus, ad ſuſtinenda quotidiana certamina cum denſiſſimis mentium tenebris, cum indomitis animorum cupiditatibus, cum pravis cordium affectibus; ut, cum his domeſticis hoſtibus fortiter pugnantes, ſuperiores evadamus, & optatam victoriam cum laude obtineamus.

XI.

Quamobrem, ne videamus de-

ge-

generes, corde nati non satis rectò, sed distortò & depravatò, devoremus sanæ eruditionis & scientiæ primas radices, quæ amaræ nobis videntur, superemus peregrinorum verborum, ut Latinæ & Græcæ lingvæ fastidium videamus, quæ inde secutura sit non modò utilitas, sed etiam voluptas: cogitemus, Græcam Latinamq; lingvam fores esse eruditionis, per quas si ingressi fuerimus in ipsas ædes, nos svavissimos fructus inventuros esse. Conferamus etiam inter se duos pueros, alterum nugatorem & otiosum, alterum studiosum & occupatum exactoque annò putemus rationes, & ad calculum vocemus, quid uterq; è suò vitæ genere fructûs perceperit. Intelligemus profectò, si non planè sensibus caremus, puerum studiosum primum vitiis multis caruisse propter discendi occupationem, deinde multò & doctiorem & meliorem esse factum sine ullò detrimentò, & maximâ cum approbatione omnium; alterius verò

ludos

ludos & jocos evanuisse, si nullô cum dedecore & damnô, (quæ tamen vix caveri possunt) at sine fructu & laude. Ego certè non committam posthac, quin plenô gradu ad libros meos properam.

XII.

Itaque quantumvis arduum & difficile est iter ad Virtutem, pronum ac proclive ad voluptatem: Nos cum Hercule & puero & adultô potiùs laboriosam virtutem; atque amœnissimos Hesperidum hortos sequamur, quàm per prona & facilia delicioſam & ad interitum ducentem voluptatem. Atque ita statuamus, cum omni ætate honestô labore ad virtutem contendendum, tum imprimis nostra.

XIII.

Quâ de causâ omnibus modis cavendum nobis statuamus, ne quid tale nostra culpa, vel nostræ ætati, vel posteris nostris metuendum sit, operam demus, ut florentibus bonis literis ea-

earum cultu ac disciplinâ semper suppetant Reipublicæ tum togati gubernatores, prudentes & boni, tum imperatores item & bellatores fortes atque industrii. Ita fiet, ut ad studia nostra amanda urgenda, persequenda sedulò inflammemur.

XIV.

Quare cùm ad discendum nos esse divinitùs vocatos sciamus, discamus artes eas, quibus excolitur præstantissimum rationis donum, purgantes per eas sine doctrinâ facilè cœcutientem animæ oculum, ut doctrina exculti dignoscere possimus veras sententias, & vera bona à falsis, nec, quod maximæ hominum parti evenit, postquam in hac vitâ, veluti in specu Platonis, spectra opinionum pro veris sententiis, & umbras inanes pro rebus captaverimus, vanis & infelicibus studiis tandem in baratrum æternæ miseriæ & vanitatis abjiciamur.

XV.

Quæ cùm ita se habeant, Auditores, ne-

neminem vestrûm esse puto, qui non omni curâ, summoque studiô adversus istos perniciosissimos humanæ societatis hostes, nimirum contra ignorantiam pro eruditione, & contra improbitatem pro virtute acriter & fortiter, atque etiam, si res ita postulet, cum valetudinis & facultatum suarum periculô & jacturâ depugnandum esse statuat: Voluntas certè, & honestus conatus magnam habent vim, & quidem in virtutis studium tantam, ut facultas etiam plerumque illam sequatur: Qui statim currit (inquit Cicero) eniti & contendere debet, quàm maximè possit, ut vincat: Sic quis in literarum curriculô versatur, omni operâ & studiô elaborare debet, ut eximiam Sapientiæ & Virtutis laudem consequatur. Quod si ea vis ingenii, ea subsidia facultatum, eæ corporis vires, ea hominum studia non suppetunt, ut optatus labori respondeat eventus, non idcircò animus remittendus est, aut abjectâ hastâ de statione

ne decedendum: nam ut pereleganter ter Simplicius scribit, rei benè gestæ laus non ex eventu, sed è consiliô & voluntate ponderanda est, siquidem, *Ut desint vires; tamen est laudenda voluntas.*

XVI.

Quod si igitur, Adolescentes optimi, rupes sive saxa insecare ac penetrare, hoc est, omnes difficultates, quibus natura res magnas circumsepsit, superare, atque sapientiæ, & virtutis laudem adipisci cupitis, necessum erit, ut gladios, hoc est vestra ingenia acuatis, assiduitate exerceatis & perpoliatis, planeque vobis persvadeatis, nihil esse tam arduum ac difficile, nihilque tam altè à naturâ positum, quo doctrina viam non monstret atq; aperiat quoque labor & industria ac pervenire non possit.

XVII.

Sed temporis decursus postulat, ut finem dicendi faciam. Itaque Epilogi locô vobis recitabo pulcherrimum divini Platonis sententiam.

XVIII.

XVIII.

Quæ cùm ita sint, Auditores, communi certè sensu carere videbimur, si non otium atq; desidiam, tanquam animi corporisq; pestem omniumque vitiorum nutriculam, vitemus ac detestemur, omniq; studio allaboremus, ut usu atque exercitatione splendescere hoc est, virtutis & doctrinæ nitorem ac splendorem, vel in forô & judiciô, vel in Magistratu & curiâ, vel in scholis & Ecclesiis Christi, vel deniq; in aliis Reipublicæ locis, obtinere atq; tueri possimus.

XIX.

Quamobrem cum verâ gloriâ non ab errore Vulgi, sed ab ipsa naturâ & à lumine virtutis oriatur, & infinitas humano generi afferat utilitates, & verò tam stabilis ac firma sit, ut neque invidiæ detestabilis immanitas, neque imperitæ multitudinis amentia, eam obscurare aut abolere queat; reliqvum est, ut eam omnibus votis expetendam esse statuamus.

XX. A-

XX.

Agite igitur, Comilitones optatissimi, omni ope & operâ connitamur, atque elaboremus, ut mentem sapientiâ, animum virtute, lingvam Eloquentiâ sic instruamns atq; ornemus, ut aliquandò & parentibus honori, & amicis utilitati, & Reipublicæ emolumento simus, & denique svaviſſimum virtutis & doctrinæ fructum ac mercedem, gloriam, consequamur.

XXI.

Quæ cùm ita se habeant, neminem vestrûm esse puto, qui mecum non consentiat, planeq; statuat, in id studium unicè incumbendum esse, ut, quantum in nobis est, vitia declinemus & fugiamus, & virtutes amplectamur atque colamus, vitamq; nostram prorsus sic instituamus, ut sive soli simus, sive inter homines agamus, nihil admittamus, cujus nos aliquando vel pudere, vel pœnitere queat. Et verò ad extremum, decursò in his terris vitæ spatiò, bonaqne famâ inter homines

nes relicta, conſcientiam puram, omnique labe carentem ad Deum Optimum Max. ſupremum humani generis judicem afferamus.

XXII.

Quapropter, Adoleſcentes, ſi ſalus veſtra & incolumitas vobis curæ eſt, ſi conſcientiæ labem, infamiæ dedecus, patrimonii naufragium evitare cupitis, ſi parentibus honori, amicis jucunditati, Reipublicæ & Eccleſiæ emolumento eſſe pulchrum putatis, honeſtæ diſciplinæ finibus coerceri vos patiamini? ita enim à vitiis pleriſq; & flagitiis abſtinebitis, à periculis tuti & tecti eritis, nullis inſidiarum telis vos exponetis. Quamprimum verò convulſis diſciplinæ officiiq; repagulis, ſolutè libereq; verſari cœperitis, ſtatim corruptelarum illecebris irretiemini, variis erroribus, flagitiis & periculis implicabimini.

XXIII.

Quæ cùm ita ſint, etiam atq; etiam elaborare nos decet, ut mente manuque

que, hoc est, non externis duntaxat gestibus, sed multò magis animô à vitiis pravisq; cupiditatibus repurgatô, & pietatis atque amoris divini facibus inflammatô, ad religionis nostræ sacra accedamus, eaque oculis mentis nostræ in cœlum sublatis obeamus & peragamus, ut tandem Dei Opt. Max. gratiam & amorem, hujusq; comitem sempiternam beatitudinem consequamur.

XXIV.

Quare etiam atque etiam providete, ut fœdas voluptates non modò consectemini, sed ultrò quoque aut ab impuris & improbis sodalibus oblatas prudenter delinetis & avertatis: illudq; idcircò perpetuò animis vestris infixum habete: *Allicit ut perimat:* & turpi breviq̃e voluptati decus virtutis sempiternum anteponite, conscientiam bonam cum bonâ famâ conjungite, atq; adeò, quantum fieri potest, cavete, ne turpium voluptatum vinculis constricti eò incidatis, unde

aut

aut nunquam, aut non absque summâ difficultate evadere possitis. Quin potiùs imitamini Demosthenem, a quo cum Lais iniqvum pretium postulâsset, Οὐ πρίαμαι τοσοῦτου, inquit, μετανοεῖν; *Tanti, pœnitere, non emo.* Cavete contra exemplum Lysimachi, qui, cum in Thraciâ siti coactus deditionem fecisset, haustâ aquâ; Ob quantillam, inquit, voluptatem, quantum decus amisimus, quantam cladem accepimus!

XXV.

Quapropter cùm ingratitudo tam odiosa, detestabilis & execranda, tam pernitiosa ac calamitosa, & tantô deniq; cum dedecore, & ignominiâ conjuncta sit: omni studiô providendum & elaborandum nobis est, ut non modò tam nefarium crimen, sed criminis quoque suspicionem vitare & effugere queamus.

XXVI.

Quamobrem ut navigantes in longinquas terras magnis se laboribus frangunt: ita & tu, ingenua juventus,

cùm videas, ſtudia tanquam in mari immenſô vehi, varioque rerum eventu perpetuò fluctuare, noli ſuccumbere ignaviæ, aſſveſce laboribus; nam ut nautas tempeſtatum, & Medicos juvat meminiſſe morborum; ſic dulcis erit aliquandò in ſtudiis præteritorum laborum recordatio. Moram itaque avertite omnem.

Et propera, nec te venturas differ in horas,
Qui non eſt hodiè, cras minùs aptus erit.

XXVII.

Quare in id omni curâ & cogitatione incumbere debemus, ut à pravis cupiditatibus, omniquè turpitudine abducti ad cœleſtem ſapientiam contentô curſu, ardentiq; ſtudiô feramur, donec tandem ſummi æterniq; Patris beneficiô in eum ſtatum, unde noſtrâ culpâ excidimus cum amplificatâ dignitate reſtituamur, atq; iis locupletemur opibus, quæ neque inſidiis eripi, neq; externâ vi comminui, neque ſeniô & vetuſtate corrumpi, neque ulla denique calamitate perverti poſſunt.

XXVIII.

VXXIII.

Quapropter, Adoleſcentes jucundiſſimi, ſi honeſtum atque jucundum vitæ curſum tenere, ſi miſerias, & calamitates devitare, ſi bonam conſcientiam bonamque famam tueri ac retinere, ſi denique hujus vitæ munere bene beateque perfungi cupitis, ætatis veſtræ florem non Veneri & Baccho, ſed Minervæ & Muſis conſecrare, cupiditates veſtras rationis imperiô coercere, gulam, ebrietatem & imprimis Sirenes, hoc eſt laſcivas puellas & impudicas mulierculas refugite, obſcœna colloquia & congreſſus declinate: (a) atque ad Ulyſſes navis malo ſeſe alligâſſe, & ejus ſocii aures ſuas obſtruxiſſe dicuntur, ne blandis & inſidioſis Sirenum cantilenis in naufragium illicerentur; ita vos quoque animos veſtros ſapientiâ & virtutis præceptis alligate, aures atque oculos veſtros cohibete, eisque omnes ad libidinem vias intercludite, honeſtis occupationibus & laboribus vos exercete,

atque

atque imprimis ad pietatis & optimarum doctrinarum studia omnia cogitatione curaque incumbite, & denique ita vivite, ut vitæ rationem Deo simul & hominibus aliquando reddere possitis,

XXIX.

Quare agite, Juvenes politissimi, qui Reipublicæ commando nati & consecrati estis, amplexamini studium, eâ venustate, qua omnium artium studia videtis commendari: dignitate autem tantâ, quantam convenit æstimari, quam summorum virorum ingeniis expeditam, esse audivistis: utilitate verò ejusmodi, quæ authoritate Regum, testimoniô omnium doctorum, divini atq; humani juris tabulis comprobatur. Si non tantùm humana, sed & divina commendatio aliquid valet, eam artem, quæ Dei ipsius legatos, secundos à Deo Principes & Imperatores, quæ omnem Rempublicam bene constitutam semper ornavit, quæ multis inopes periculis eripuit, humiles

les ad rerum culmina extulit, quæ vobis æternum diligentiæ veſtræ præmium & laudum teſtimonium daturam ſe profitetur, quæque ſemper apud omnes ſancta & flexanima eſt habita atque dicta, ſic in veſtros animos alacres admittite, ſic in veſtram fidem, in veneranda Muſarum veſtrarum penetralia recipite, ut quò fœdius à barbarie imminente violatur, eò ſanctius & ſtudioſius in generoſâ veſtrâ indole ornetur atque honoretur; ipſa ſe vobis ingerit, ipſa vos honeſtô ambit honore, atque, ut flammam in pectore veſtrô accendat, omnem ſuum mundum, totam pulchritudinem ſuam vobis coram explicat.

XXX.

Adjungite Vos, ô candidiſſima Muſarum oracula, adjungite catervæ huic ſpectatiſſimæ, &, dum veſtras pulſat fores, veſtros captat oculos, veſtra laceſſit pectora Diva venuſtiſſima, intromittite, veneramini, amplexamini, oſcula figite, cingite latus, veſtigia legite;

gite: ut nulla sit spes præeundi, magna tamen est dignitas subsequendi.

XXXI.

Longius excurreret, & in tam apertô patentique campo exultaret effusius oratio: sed permulta, Thimantis exemplô, quæ dicendô consequi non possum, tecta involutaque taciturnitatis velô relinquere cogor; & ipsa benevolentia vestra, Auditores, ut vela contraham, & tanquam bonus agitator currum sustineam, me admonet. Hic itaq; oratiunculæ meæ scopus, hæc meta esto: Quicunq; veri nomen politici tueri, qui vitam civilem cognoscere, feliciterq; administrare cupit, tollat malorum scaturiginem Dei ignorantiam, & rectum de Deo sensum maturè sibi comparet, ut illum suô tempore civibus, cũ quibus vivit, subditis, quibus imperat, Principi, cui consulit, instillare possit.

XXXII.

Quapropter, qui Reipublicæ munus aliquandò aggredi, laudabiliterq; persequi vobis proposuistis, hanc rerum necessitatem animis vestris præponde-

rate, evolvite, revolvite, vobisq; semper illud, quod ex summi numinis beneplacitô provenit, cui semper obtemperare optimum, fortiter perferendum certò credite; illam deniq́ue, quæ sine murmure, sine fremitu & gemitu Deum præeuntem sequitur, seligite æquanimitatem. Quod si certis clarisq́ue indiciis fatalis mutatio appareat, optimum illud Μὴ ϑεομαχεῖν vobis ob oculos ponite, Solonis exemplim imitati: qui, cnm Athenas Pisistratus occupâsset, videretq́ue conatum omnem frustrà esse pro libertate, arma & scutum ante fores curiæ ponens, *O Patria*, inquit, *tibi & dictis & factis opitulatus sum!* atque ita domum abiit, posteà quieturus. Hoc quoque vobis faciendum; Deo cedite, cedite tempori, & vosmetipsos melioribus & mitioribus Fatis reservate. Globo enim vos insistere versatili, qui rursum prorsum omnia vertit, & unô momentô ima summis, & summa imis permutat, existimate: rotantem Deum acriter contemplamini, patienter intuemini, & for-

fortiter sequimini. Magnus animus est, qui se Deo committit: at contrà abjectus & degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè existimat.

XXXIII

Quod si itaque conscientia vitæ magistra, omnium actionum norma bonis refugium, tormentum perversis, portus tranquillitatis, scopulus collisionis, bonorum malorumque facinorum parens, index & judex; agite, qui vitæ communi vitam impenditis vestram, qui tranquillitatem in turbis perpetuis amatis, supra omnem famam, pœnam, potentiam, conscientiam veremini: ut semper metu vacui sitis, hanc metuite, hanc colite: hæc vobiscum in curiâ consultrix, in dicasteriô judex, in provinciâ inspectrix: si gratia, si dignitas, si auctoritas, si solitudo, si impunitatis spes licentiam sceleris permittit, formicas Neronis vellicantes, pipientes Bessi hirundines, Theodorici piscem minitantem, Tisiphonem Athamantis, & Titii morsicantes vultures extimescite. Nullum conscientiâ supplicium cru-

delius, nullum conſcientiâ præmium amplius. Non teſtis verior, non judex ſeverior, non tetterior carnifex, non brabeuta opulentior.

XXXIV.

Sentio me in altum abripi, metuoq; ne jam longius, quàm deſtinàram, provectus ſim: itaque inhibeam, optimum eſt, & me referam in portum, quando ſuſceptum definitumque curſum jam confeci; oſtendi enim &c.

XXXV.

Sic ſtatuite, Auditores. Deum paratum eſſe, nobis dare omnis generis dona, dummodo nos inſtructi ſimus à vaſe, quo illa excipiamus, humilitate dico & manſvetudine, quod ſcitis Ariſtotelem Alexandro Magno reſpondiſſe. Sin autem ſuperbiæ feneſtras & portas aperuerimus; ſed præſtat fauſtâ ominatione orationem concludere, &c.

XXXVI.

Quæ cùm ita ſint, inexpiabili prælio adverſus vitia decertate! invicti eſtote ad labores virtutis cauſâ perferendos: fortes vos gerite ad pericula, animisq; veſtris inſcribite hæc verba: Ex-

Explorant adversa viros: perq́; aspera durô
Nititur ad laudem virtus interrita clavô.

XXXVII.

Nos igitur moniti hac sententiâ temporis accuratè rationem habeamus, omnes horas complectamur, & vel hodierno diei manum injiciamus, ne ex crastinô pendeamus, (dum enim differtur, vita transcurrit) Democriti illud cogitantes, πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνον εἶναι, utque in flummine unda undam trudit; ita diem protrudere diem, nec reparari amissum. Ita fiet, ut juvenili etiam vere ætatis, asseclæ virtutis ac sapientiæ alumni audiamus, gratamq́; nostri memoriam posteritati, si qua modò futura est, relinquamus.

XXXVIII.

Quapropter, Adolescentes, quantum animô, quantum labore, possumus, conniti & elaborare debemus, ut virtutem summô studiô consectemur, & amplectamur, nec unquam ab illius conjunctione nos segregemus: voluptatibus autem non solùm repugne-

mus & obsistamus, verùm etiam illis magnâ contentione superatis clarissimum triumphum agamus. XXXIX.

Quod cùm ita sit, quisnam, quæsò, tam degeneri, tam pravô, tanquam vecordi animô sit, qui laborem, quo unô veluti pretiô Deus Opt. Max. ut omnia, quæ homini contingere possunt, bonorum genera, ita & victoriam hanc glorioſissimam vendere solet, refugiendum aut detractandum, nec ultrò potiùs capessendum, amandum, & perferendum existimet? Quas non item fucos aut vappas istas, vel risu, vel commiseratione potiùs dignos judicet, qui se ad otium ignavum, tanquam inutilia terræ pondera, à naturâ productos existimantes, omne quod studiis & laboribus honestis tribuere debeant tempus, vel somno inerti, vel aleâ turpi, vel helluationibus profusis, vel aliis denique nequitiis consumunt? Quorũ, si sapimus, non mores tantùm, sed omne etiam vitæ commercium, & consvetudinem, non aliter quàm serpentis venenati contractum, fugiamus: contrà

verò

verò honestissimorum studiorum, & exercitiorum labores promptè & alacriter suscipiamus, constanterq; exequamur, æternùm nobis de hôc animô & industria gratulaturi.

XL.

Sed ut omnia hæc in unum jam connectam & constringam fasciculum.

XLI.

Sed quid ego, post tot tantorumque Virorum messem, hæc spicilegia?

XLII.

A spoliis omnium adversi exercitus inimicorum onustus, jam tandem rediens, ad Pacis & Triumphi castra devenio, cùm sperem, me cum omnibus adversariis firmas pepegisse inducias.

XLIII.

Desino jam tandem, ulteriorem vobis molestiam creare, & patientissimis animis ciere nauseam.

XLIV.

Sed annus, imò seculum mihi foret concedendum, ut omnium undiquaq; erogarem suffragia: sed canendum receptui, (Deô Terminô jam reclamante)

ut quem vos loquentem faſtidioſis (ut vereor) auribus ſuſtinuiſtis diu, tacentem cum majori delectatione videatis.

XLV.

Cum itaque extra omnem controverſiæ litisq; aleam ponatur hujus ſententiæ veritas, ne ſolem in cœlo ſplendentem digitò videar demonſtrare, unicum tantùm ſuperaddam verbulum, Valete, juvenes.

XLVI.

Sed in quod ego immenſum mare jam deſcendo? in quam demens efferor Charybdim; O navis, referte in portum? nimium diu in hoc fretò fluctuavimus, plus nimiò in hac ſententiâ hæſimus.

XLVII.

Quocirca ne veſtras aures longè nimis ambage morer, vel nauſeante prolixitate inceſtem, cùm abundè ſat vidiſtis comprobatum quod &c. concludo.

XLVIII.

Sed quid ego imbrem in Oceanum ſpargerem, lucernam in ſole accenderem, aut cœlo ſtellas in caſſum adderem? Res ipſa loquitur quod &c.

XLIX

XLIX.

Possit hic, Auditores, triumphare oratio mea, nisi temporis angustias subvererer, & vestra aurium satietas mihi esset fugienda; possit, inquam, tripudiare veritas hæc divina, præeunte universô Philosophorum & Poëtarum chorô. Vos itaque vel tacitis susurris, vel apertis suffragiis subsequimini acclamantes.

L.

Qua autem ratione, aut qua potius oratione de illis differendum est sigillatim, cum mihi facilius liceat Ægeum mare viburnea schaphula trajicere, quam omnes explicare nodos, omnes indicare rationes, quibus olim magni Philosophi implicuerunt? Manum igitur de tabulâ; restat unicum, quod superadjiciam, verbulum; Dixi.

LI.

Longius excurreret, & in tam apertô patentiq; campô exultaret oratio, sed brevitas, quam, & si res non postulat, tempus tamen flagitat, & initiô pollicitus sumus, nos, ut orationem, tanquam

bonus agitator currum, sustineamus, admonet.

LII.

Sed desino: aut potiùs hanc telam in mediô adhuc opere abrumpo; longè plura dicturus, & fortasse talia, ut ista potissimum, aut sola etiam dicere debuisse videre potuerim nisi mihi aut occupato, aut securo tempus certè præter votum meum & opinionem sese subduxisset: adeò ut nec illa ipsa, quæ in ubertate illâ ultrò nec valdè cogitanti se ingerebant, chartæ illinere sustinuerim, velut prælegenda auditorio: Idcircò pergo & ad alteram instituti nostri partem festino.

LIII.

Sed plura persequi neque est hujus loci neque temporis, argumentoque fabulæ statuendus est modus.

LIV.

Sed provehor longius statim rerum rusticarum: & senectus, ut scitis, loquatior est.

LV.

Sed nos immensum spaciis confecimus æquor: Et

Et jam tempus eqvûm ſpumantia ſolvere colla.

LVI.

Ah quam vellem hic diffundere ſtylum! ſed quid dixi me diffundere velle? contrahere potiùs illum me jubet rei difficultas.

LVII.

At feror extra oleas, & fortè ad olera; Vos verò, quibus res & æs eſt, pranſum vos recipitis: ambulatum fortè, quibus nec menſa, nec ſalinum.

LVIII.

Sed cum χρόνȣ ἀνάλωμα πολυτελέστατον ſit, non ero nimiâ verborum profluentiâ vobis tædioſior.

LIX.

Sed deſino pluribus ſilentium, ſive taciturnitatem commendare, atque ea, quæ dixi claudo atq́; obſigno ſapientiâ Socratis, qui diſcipulis ſuis ingerere ſolitus, ut tria in omni vitâ primas ducerent; *in animô prudentia, in vultu verecundia, & in lingvâ ſilentium.*

LX.

Liberet hac de re plura dicere; ſed

ineptum me, qui ad vos tam ardua de re verba facere ausim, & nullis rebus instructus, & ad eloquentiam inops. Quare ad minora nunc mea properat oratio.

LXI.

Sed tempus admonet, ut finem orationi imponam.

LXII.

Sed hic mihi necessariò consistendum, neque, si velim, possim ulteriùs progredi, qui jam ad cœlum pervenerim. Præterea si placui, satis verborum est; si displicui, nimium. Quibus placuisse contigerit, ii mihi facilè hanc veniam dabunt, ut desinam me satietate minuatur aurium voluptas. Quibus displicuero, ii etiam tacere me jubebunt, ne longiore oratione augeatur illis audiendi molestia.

LVIII.

Appellit, Auditores, jam tandem, appellit portum fessa mea carina, quæ gratulatur vobis plurimum, serenum, quem sensit, vestri favoris zephyrum: laxandi jam rudentes, complicanda car-

carbasa; & cum scopulos infortunii præterfectus sim, videamque jam altas in littore turres, & domorum è longinquô fastigia, tam secundô patientissimæ attentionis vestræ Neptunô, hôc in littore, his in aris, litigandum esse cum gratiis, puto, cùm tandem optata mea cymba potitur arenâ.

FINIS.

TAmetsi Medulla Oratoria omnium Transitionum formulas, quæ ad Orationis Rhetoricæ ornatum fusè satis per se contineat & explicet; tamen, quia easdem etiam ex aliis Auctoribus haurire juvat, studiosæ juventuti gratificari volens selectas, quasdam ex aliorum præclarè scriptis, hic unà typis excudere, operæ pretium duxi.

EX PALÆSTRA ORATORIA R. P. JACOBI MASENI, E SOC. JESU.

Caput I.

De aptâ partium Orationis Connexione, & figurarum inductione per Oratorias Transitiones in eodem exemplô, ad faciliorem apprehensionem, propositas.

HActenus cùm inveniendi, tum eloquendi artificium prosecuti sumus, nunc, ut aptis inter se partes orationis nexibus hæreant, ornatusque ille figurarum ad facilem usum traducatur, videndum est. Quæ sanè observatio plurimum ad ornatum varietatemq; orationis momenti adfert. Cùm hæc tam ad idoneam rerum distributionem distinctionemq;, quàm ad oportunum figurarum cultum viam præstet usuque compertum sit, hic plerumq; non satis petitis aquam hærere. Quare hac in re exemplô variè in unâ eademq; materiâ inflexô ad faciliorem apprehensionem memoramq; utamur.

Vinculum hoc orationis, quo vel una

una pars cum aliâ, vel una ratio cum alterâ connectitur, transitio appellari consvevit.

Transitio à parte ad partem est, qua e. g. ab Exordiô ad narrationem, aut propositionem, ab hac ad confirmationem, &c. transitur.

Transitio à rationibus, vel est ad rationes proximas, sive primas; vel ad remotas sive ultimas. Deinde ea est, quâ ab unô argumentorum genere ad aliud transitur; ut ab effectis ad causas, ad contraria, similia testimonia, idque vel simpliciter, vel figuratè.

Transitio ab una partium Orationis ad alteram debet esse clara & distincta; ideoque plerumque non figurata. Quod locum etiam habet, quando ab unô confirmationis membrô præcipuô transitur ad alterum, e. g. à rei honestate ad ejus utilitatem. Ratio est, quia, nisi hæc planissimè proponantur distributio obscura erit, neque auditoris memoriæ ordo ac robur argumentorum insidebit. Unde magnô artificiô hic opus non est, sed aperte, quid

quid velis, profitendum. Exemplô sit: Constituisti aliquem laudare ab Eloquentiæ studiis. Primum ab ingeniô & facultatibus naturæ, deinde à diligentiâ & artis perfectione, denique etiam à virtute, honoribus & opibus, per eloquentiam comparatis; sive ab utilitate & honestate Eloquentiæ poteris extollere, ac sic apertè transire: *dixi de ingeniô, nunc de ejus diligentiâ accipite.*

I. Ad Narrationem, seu Propositionem transibis simpliciter, postquam in Exordiô benevolentiam attentionemq; captaveris, hac similivè methodo.

Dicam, quantum in Eloquentia studiis Muretus profecerit, quantum ab iisdem illi accesserit ornamentum, quo in dicendi genere tenuitatem meam vestrâ omnium benevolentiâ sublevandam spero. Primùm itaque, quò ad hoc studium ingeniô, quibusq; naturæ facultatibus præditus accesserit; deinde, quò diligentiâ ad hujus perfectionem artis penetraverit; denique quibus opibus, honoribus, ac virtutibus per illam auctus fuerit, videbimus. Atq; ut ab ipso Eloquentiæ fonte, hoc est,

in-

ingeniô ac ratione, meâ quoq; profiscatur oratio Muretum sentio, inter præstantissima hujus seculi ingenia ad eloquentiam natum fuisse; ille enim, &c.

Vel. *Cùm multa in Muretô commemoratione digna, quibus & Rempubl. Ecclesiasticam ornavit, & literariam amplificavit, tum illud mihi imprimis Eloquentiæ studium, ex quô pleraq; manarunt cætera, visum est laude dignissimum. In quo ante omnia ejus veneror ingenium, diligentiam admiror, opes, honores, virtutesq; inde profectas suspicio, quæ proinde singula dum fusiori aliquando oratione prosequor, vos de eloquentiâ minus eloquenter dicentem, benevolâ vestrâ favoris aurâ recreate. Ingenium ego Mureti præcipuè veneror, si quidem is &c.*

II. Ad confirmationem, sive causam rei, quam probamus, transitur vel simpliciter, per particulas *Nam, Enim, Enimverò, Siquidem.* Et si factum aliquod dictumvé approbetur, præmitti solet, *Et rectè, Rectè enimverò. Et profectò sapientissimè. Et sanè prudenter. Nec absq; causâ, ratione, consiliô. Gravissimis de*

cau-

cauſis. Nec levibus de cauſis. Non levibus inductus argumentis. Et jure meritô optimô. Nec injuria, immeritò; ſiquidem diligentia illa eſt, Per quam ad Eloquentiam connitimur, &c.

Vel figuratè, per præteritionem, ſi plures ſimul rationes occurrant. *Nam ut memorandi vim præteream, nec illam tangam judicii acrimoniam, quanta illius ſit & in ſubtiliſſimis quibuſq; rebus apprehendendis celeritas, & in discutiendis perſpicacia, experientia didicimus, &c.*

Aut per ſuſtentationem. *Et verò quid exiſtimatis hanc illi perſvaſiſſe diligentiam? an fortè inutili curioſitate rerum novarum abreptum: aut inaniſciendi voluptate captum? aut denig; vaniſſimis impulſum gloriæ ſtudiis? Nequaquam ſanè, Major illum Reip. utilitas, vitæq; cum virtute traducendâ honeſtas provocavit. Vidit omninò, qvantũ in literis commodi &c.*

III. Ad Confutationem ſerviunt particulæ, *At, ſed, verùm, veruntamen, enimverò, verùm enimverò. Sed enim, Opponi, Occurrit, Obſtat hoc locô quorundam invidentiam importuna loquacitas, qui cupidi-*

piditate magis gloriæ, quam amore Eloquentiæ Muretum. ductum autumant. Falluntur tamen, atque aberrant graviter. Etenim, ut is ambitione vanissimâ ductus sit, qui tantâ contentione pro virtute egit, nemo mihi facilè persuaserit. Reclamant illæ disertissimæ voces &c.

Vel figuratè transitur. Per Apostrophen. *Audite nunc vanissimum hominem tam apertè sese veritati opponentem. Muretus inquit, plus aliud cupiditatis in pectore, quàm eloquentiæ* &c. Apage *his vocibus, invidentiâ plenissimis.*

Per communicationem. *Verùm quid tam sanctum, numerisq; absolutum omnibus, quod non carpat invidia? Te hic ego, Mævi, consulo de Mureto quid sentias? quo ille tibi fructu versatus putetur in literis? Quid hæres, quin genuinos illos tuos in illum mordaciter exeris? non is est, auditores, qui pareat innocentibus, viri ille gravissimi existimationem his audet dicteriis proscindere &c.*

Per Ironiam. *Reliquum est, ut ex Mævio tanti viri præconium audiamus. Rarum ille aliquid ad illius existimationem tollen-*

lendam, dicam, an extollendam adferet. Quid igitur? arrogantem atq; inanis gloriæ cupidissimum hominem Muretum nuncupat. O plenas impudentia voces! illum tu arrogantem &c. dixeris qui &c. Vide quæ infra tradidit c. 3. n. 4. de oppositis rationibus.

Corrigendi seipsum ratio his iisdem formatur particulis, & figuris extollitur. *Sed quid diligentem appello, quem diligentissimum dictum oportuit &c. Verùm nimium ego parcus laudator sum &c. At enim à propositô longiùs evagatus sum, revertar &c.*

IV. Ad conclusionem venies simpliciter per particulas. *Ergò, igitur, Itaque, quapropter, quare, quocircà, quamobrem, Ideò, Idcircò, Proinde.* Vel etiam si apertè profitearis. *Sed jam finem dicendi facio. Ad finem denique procurrit Oratio. His concludo. Quæ cùm ita sint, finio. At ne vestrâ abutar patientiâ, hic libet subsistere. Recolligite nunc mecum, auditores, unius hominis tantam in dicendô copiam, in persvadendô vim &c. At contrahamus denique effusè nimium o-*

ra-

rationis habendâ, &c. Ex quo intelligitur, conficitur, constat. Quo fit, &c.

Vel figuratè per interrogationem. *Et quisquam sit qui dubitare ausit? Dubitabitis igitur, Auditores?*

Per Apostrophen, exoptandô, adhortandô, detestandô &c. concluditur. *Vos igitur, Adolescentes, utinam illud aestimetis eloquentiæ studium, quod in Muretô summam gloriam cum summâ virtute conjunxit &c. Videte nunc, quid vobis faciendũ. Quapropter vos nunc oro Adolescentes, obtestorq; per illam spem, quàm de vobis excitastis. Mureti vestigiis insistite &c.*

Per Ironicam concessionem. *Ite nunc, Adolescentes, & plenam in lucem ferte ite, quando ipsum solem præoccupare etiam Muretus venientem solebat, ite, ac diem otiô consumite &c. Negligite igitur si vultis Eloquentiam, quæ & opes tantas, & tam varios honores conciliat. Fovete nunc desidiosorum adolescentum otia &c.*

Per prosopopœiam. *Quocirca nullum tempus erit, quò te animorum nostrorum decus, Eloquentia non amplectar atq; exoscu-*

oſculer. Tu meorum eris unica laborum meta, quæ tantam Mureto & virtutum conciliaſti & gloriam &c.

Per Epiphonema etiam breviter concluditur. *Adeò nihil tam vile eſt, quòd ab eloquentiâ dignitatem non poſſit accipere. Tantum eſt, Eloquentiæ in teneris adoleſcentiæ annis omnem operam adhibuiſſe.*

Caput II.

Tranſitiones ad diverſa membra partium.

PRÆTER has orationis partes, ſunt alia quædam ejusdem membra, quæ in narratione longiori, & præſertim Confirmatione aut Confutatione occurrunt. Ut ſi eandem rem e.g. Eloquentiam probemus utilem, honeſtam, & jucundam, vel in eodem homine ingenium, & diligentiam conjungamus.

I. In his tranſimus vel ſimpliciter, ut, *quanta ipſius ingenii facultas fuerit audiſtis; nunc quæ fuerit diligentia accipite. Hactenus de utilitate eloquentiæ; nunc ipſius in rebus humanis dignitatem cognoſ-*

gnoscite. Attendite, Videte, Intelligite, Cognoscite, expendite, Considerate nunc eloquentiæ dignitatem. Utilitatem vidimus, dignitatem expendamus. Nunc ad Eloquentiæ dignitatem festinat, properat, anhelat oratio. Utilitas jam satis perspecta est, diligentia omitti, negligi, præteriri silentiô non debet.

Nonnunquam causa transeundi additur; *Sed nunc expectare videmini, ut de ejus dignitate pauca dicam. Sentio vos exspectare, ut, si tanta in Eloquentiâ utilitas, quanta ejus sit dignitas, audiatis. Atque ut modum in dicendô servemus, ne in immensum excrescat oratio. Ne vestrâ abutar patientiâ. Ne vestris auribus gravissimis, ut tædiô audiendi sublevem. Quoniam temporis urgent angustiæ. Ne consuetæ orationis terminos prætervehar, de ejus dignitate nonnulla adferam. Sed me dignitas Eloquentiæ invitat, rapit, suâ trahit pulchritudine.*

II. Vel tropicè, idque ferè metaphoricè, in florenti magis oratione transitur, ut: *Nunc ipsius Eloquentiæ florem pulcherrimum, hoc est, honorem illi impen-*

pendi solitum delibemus, depingamus, adumbremus.

Nunc imaginem dignitatis illius, quæ ex eloquentiâ subnascitur, oculis subjiciamus. Supereſt, Reſtat, Reliqvum eſt, ut oratio velis, remisq; in ipsius Eloquentiæ dignitatem excurrat. Subeamus nunc illud amœnissimum Eloquentiæ viridarium cultissimum hortum, in quo ejus efflorescit dignitas &c.

Nunc porrò in amœnissima non hortorum, sed eloquentiæ spatia sese effundat oratio, in quibus de illius dignitate concertatur. Ad extremum supereſt, ut favoris vestri aurâ profecti ad illam, quæ dignitati ipsius propria est, partem appellamus.

III. Vel figuratè, Per interrogationem. Quid? quod dignitas hujus disciplinæ singularis &c. Jam verò, dum quisquam in Eloquentiâ honestatem desiderat?

Per correctionem. Sed quid tamdiu de Eloquentiâ, utilitate, tanquam de re ignotâ, differo? quid immoror utilitati? ad dignitatem propiùs veniamus. Sed finis sit disceptationis institutæ, qua de com-

commodis quæritur. Sed de utilitate, nihil fortasse multa &c.

Per præteritionem. *Mitto plurima, quæ de utilitate dici possunt. Tempus me deficeret, dies abiret, nox occuparet, omnia de Eloquentiæ commodis persequentem. Omnes utilitatis articulos discutientem, Momenta ponderantem, Super sedendum his igitur, ut dignitatem ejus contemplemur. Cætera quæ utilitatis sunt propria, transeo, omitto, prætereo, ne fastidium, nauseam creem, generem, adferam &c.*

Per comparationem. *Componamus, conferamus & nunc dignitatem cum utilitate, & utra sit potior videamus. Magna ejus utilitas, sed dignitas major, haud sanè minor, inferior. Atq; ut Eloquentiæ commoda, sic honestatem potiori jure admirari potestis, æstimabitis &c. Atq; ut Eloquentiæ utilitas vestrum incitare laborem, sic dignitas amorem poterit inflammare.*

Per prolepsin, vel ante occupationem. *Sed erit fortasse aliquis, qui honestatem hac in arte desideret, cui ego & rationem*

ipsam, & præclarissimorum hominum sententiam objiciam, Sed existimabit nonnemo vilium tantum animorum esse, nil nisi utile consectari, cui ego conjunctam cum utilitate dignitatem in Eloquentiâ ostendam. At verò inveniemus divites hujusce utilitatis contemptores, quibus ego facilè, quantum in Eloquentiâ honestatis insit, demonstravero.

Per concessionem. Sed esto, minor sit Eloquentiæ hac ætate in forô utilitas, dignitas certè est maximam. Verùm fortassè nunc de ejus dignitate commemorare otiosum fuerit, quòd plerique utilia honestis præferant. Esto, reperiantur, qui Eloquentiæ studium dispiciant, certè qui ejus honestate non tangamur, paucos futuros existimo.

Caput III.

Transitiones ad diversas rationes & argumenta, sive membrorum Orationis.

UT variis rationibus argumentisq3, ex locis propriis communibusq3 deductus, pars quæq3 membrumq3 Orationis probatur

tur ac ſtabilitur; ſic etiam Tranſitionibus exornatur. Quare & hi articuli nexus q3 minorum partium negligendi non erunt. Quia ab ipſo cujus q3 membri aditu cultu q3 totius plerum q3 diſſertationis ſucceſſus ornatus q3 dependet.

Rationes autem vel proximæ ſunt, ad quas primò; vel remotæ, ad quas tranſitur poſt alias.

Ad rationes proximas tranſitur I. ſimpliciter, eis ferè particulis, quæ ſupra in confirmatione allatæ ſunt. Nam confirmatio in principiô, eſt tranſitus quidem ad rationem proximam, uſurpandô: Nam, quia, quod, propterea qvod, quando, quandoquidem, quoniam, ut, qui, cum, quippe. Vel per aſſeverationis notas: *Ne, profectò, certè, certè quidem, ſanè.* Vel ab ipſa propoſitione rationis ordiendo. *Manifeſta hic nobis ratio ſuffragatur. Neque temerè affirmavi, aperta res eſt. Cauſa eſt. Argumento eſt. Neq3 ambigere in re clariſſimâ licet.*

Vel figuratè, per interrogationem. *Quid enim? an de utilitate ejus diſciplinæ dubitabimus, qua à vitiis ſceleratos*

quosq́, retrahit, ad vistutes accendit? Etenim honores ab Eloquentiâ fluere quis inficiabitur? &c.

Per ironicam exceptionem. *Niſi, Niſi fortè, Niſi verò. Niſi fortaſſe hanc eſſe neget Reip. utilitatem ſceleratos coërcere, timidos impellere &c. Niſi verò nullum ſit emolumentum, opibus affluere, honoribus extolli &c.*

Per ſubjectionem. *Nam quid illi Eloquentia ſtudium contulit? opes auxit, neceſſarium vitæ humanæ ſubſidium. Qui tam novum atq́, inauditum, quàm ſummorum occupare Principum animos, atq́, ad omnem ſuum nutum inflectere? Hoc ille Eloquentiâ eſt conſecutus.*

II. Ad rationis remotas tranſitur, vel ſimpliciter per particulas. *Jam verò, Deinde, Adhæc, Amplius, Præterea, Inſuper, Adhuc, Tum verò, Sequitur nunc, Porrò.* Si tamen ferè poſtremæ ſint, rationes ſervient. *Denique, Demum. Adde quòd, accidit.* Si omninò poſtremæ ſint, *Poſtremò, ad extremum, Ultimum.*

Vel figuratè: Locus enim hic eſt figuris penè omnibus, poſt præmiſſas il-

las

las particulas exceptâ præteritione, quæ in ultimâ ratione locum non habet per Apostrophen, *Ponite vobis nunc oculos, quantum præsidium ad omnem virtutem adferat Eloquentia.*

Per communicationem. *Jam ex vobis quæro, vos obsecro, ut quantum ad virtutem Eloquentia pondus adferat, commemoretis.*

Per concessionem. *Verùm age, faciamus nihil ab eloquentiâ nobis esse præsidii? an quod virtutem suadeat conservetq; satis non est, &c.*

Per Gradationem. *Magna fateor ab Eloquentiâ ad honorem præsidia, majora ad virtutem.*

Per correctionem. *Eloquentia nonnullis ob difficultatem displicet; sed & ius virtus displiceat necesse est. Sed frustrà compertis, immoror, progrediar ad virtutem.*

Per Prosopopœiam. *Utinam nunc istorum voces audire liceret, qui ex profundo vitiorum ad virtutis apicem Eloquentia duce emerserunt, &c.*

III. Ad duas, vel plures rationes, vel

simpliciter transitur, his particulis adhibitis *Cum, tum; Tum, tum; Tam, quam; Quâ, quâ; Et, &; Aut, aut; Vel; vel; Non solùm, sed etiam; Non modò, verùm etiam.* Vel figuratè.

Per distributionem, ut: *Duæ res sunt, quæ ab Eloquentiâ proveniunt, opes & honores, opibus potentia, honoribus benevolentia multorum confirmatur; illa lautam vitam, hi splendidam præstant &c.*

Per præteritionem. *Nihil de opibus, quas Eloquentia auget, loquar; de honoribus sermo est; illis locupletatur, his ornatur.*

Per comparationem. *Quid de Eloquentiâ dicam? opibus, an honoribus magis comparandis aptam? an ex æquô utriusq; augendis idoneam?*

Difficile sanè dictu est, plus opibus, an honoribus augendis conducat Eloquentia.

Per concessionem. *Finge, nihil ad opes parandas esse præsidii ab Eloquentia, quod nemo nisi amens dixerit; nonné ad honores viam facilem muniunt?*

Per remotionem causarum. *Quid tandem obstat, quin omne studium Eloquen-*

quentiæ impendamus? an quia opibus parandis non admodum idonea est? at re nullâ perinde facilè cumulantur divitiæ, an quia honoribus parùm opportuna est? at nihil ad illas est obtinendas expeditius.

IV. Ad oppositas, disparatasque rationes, ac sententias, vel transitur simpliciter, per particulas; *Tamen, Attamen, Veruntamen, Sed, Sed tamen, Attamen, Verum enim verò. Quanquam, Etsi, Tametsi. At enim dicet aliquis, Sed inquies, Sed quosdam audire hic videor &c.*

Ad disparatas ferè, ut ad rationes remotas, transitur per particulas; *Ac, atque, Age verò, Age sis nunc, Et quidem, Et verò, At at, Et sanè, Et certè, At verò, Porrò autem. Quid? quod, Quid verò, Sed ne illud præteream. Ne memoriâ excidat.*

Vel figuratè Per dubitationem. *Quid ergò? an eloquentia res adeò difficilis est, sit sanò. Difficilia enim quæ pulchra.*

Per Apostrophen. *At negas tibi ad eloquentiam ingenium à natura datum esse.*

Næ tu mihi graviter hallucinari videris. Tuam appello facilitatem &c.

Per ironiam. *Dicis te labore abſterreri, Præclara verò excuſatio!*

Per exclamationem. *At te laboris tædet? O inertiam!*

Per communicationem. *Quid rogo? laborem ſubterfugis? Apage iſta deſidia. Audite nunc Adoleſcentem egregium, laborem hunc averſatur. Quid vobis videtur? tantumne in iſtâ ætate dedecus ferendum eſt?*

Per exceptionem. *Niſi fortè laborem ſubterfugias. Sed quid absq; labore? &c. Vide ſupra de Confutatione.*

V. Ad contraria rationum, vel ſimpliciter tranſitur per particulas: *Contra, Contra verò, Aliud planè; Secùs tamen, Aliter longè res habet; Sed, Verùntamen, At verò &c. Verùm non niſi vigilantibus hæc ſcientia provenit, nihil exſpectandum inertibus.*

Vel figuratè idque per memoratas antea figuras Apoſtrophen imprimis ubi vis requiritur. *Vos hic inertes ac deſides appello, edicite, quid à tam utili honeſto; vos otiô ſeducat? &c.* Per

Per concessionem. *Age verò concedamus amœnissimum illud adolescentiæ tempus otio prodigas, qua tum inde ad reliquam ætatem manebit detrimentum?*

Per Optationem. *Utinam somnolenti omnes, & vigiliarum osores, adolescentes hac ratione ducerentur, damnarent inertiam &c.*

VI. Ad similia transitur, vel simpliciter, per particulas. *Quemadmodum, Ut, Uti, Veluti, Sicut, Ut enim, Non dissimilis studioso apis &c.*

Vel figuratè, *per interrogationem, An non illud faciunt brutæ animantes, atq; imprimis florum illæ populatrices apes primâ ad laborem luce se conferunt.*

Per Apostrophen. *Vos melligeras ego apiculas compello, quid est, cur primô vos diluculô in campum effunditis? &c. Ad apes, vos ego somnolentos provoco, has illucescente jam die contemplemini &c.*

Per fictam personæ inductionem. *Et enim, si ipsæ vobiscum apes humana voce loquerentur, vestram accusarent inertiam, suô vos damnarent exemplô &c. sic denig; vobiscum agerent. Nos quarum*

labor aliorum magis utilitati, quàm propriis emolumentis impenditur, & quas non ratio, ſed natura inſtruit, ſolerti tamen induſtriâ opus noſtrum aggredimur &c.

Per præoccupationem ironicam. *Niſi fortè ab apibus & brutis animantibus ad illa, quæ rationi conformia ſunt, inſtruendi eſtis.*

Per deſcriptionem. *Fingite vos modò ante oculos habere ſuæ inſudantem telæ araneam. Deum immortalem quantâ ad opus perficiendum ſolertiâ utitur! &c. Vos araneæ non eſtis, ſed homines, qui ſibi, qui poſteritati, qui Deo laborant &c.*

VII. Ad exempla & teſtimonia transitur, vel ſimpliciter. *Qua res ut exemplis ſtabiliatur, demonſtretur, clarior, evidentior, apertior ſit, Socratem attendite, videte ante lucanas etiam operas antevertentem &c. Cæterùm iisdem exemplis, quibus ſimilia particulis gaudent: non tamen teſtimonia. Sed in his â re ipſâ ſimpliciter ordimur. Ut, Suffragatur, Favet. Adſtipulatur Poëta,*

dum

dum inquit, Dii laboribus omnia vendunt.

Figuris penè iisdem gaudent, quibus similia. Rationes tamen quasdam prætereà, in uberrimâ messe, adjiciam.

Per Apostrophen. *Vos appello Oratorum lumina, Cicero & Demosthenes &c.*

Per Prosopopœiam. *Si Cicero pro me redux hoc ex locô peroraret, ita loqueretur. Nam si ipsa tecum sic ageret Eloquentia, pro me Cicero omnem laborem suscepit. Reviviscat Demosthenes. Ciceronem audiamus, qui licèt per mortem nobis ereptus sit, verba ipsius etiamnum vivunt, &c.*

Per Ironiam. *Quæ si falsa sint, derideatur Cicero, accusandus erit erroris Demosthenes, qui tantum eloqventiæ tribuit, laboris impendi, &c. Amens Socrates fuerit. Nisi fortè Ciceronem dementem arbitremur &c.*

Per concessionem. *Sed erraverit Socrates, nos etiam cum eodem hallucinemur, at Salomonem mortalium sapientissimum, nemo errare fecerit &c.*

Per Hypotyposin, *seu descriptionem.*

Eqcite vos modò audire, aut intueri Socratem, altâ etiamnum nocte somnum oculis excutientem ad Musæum sese transferentem. Non illum uxor detinet, non arduus labor deterret &c.

Per communicationem. *Equidem vos interrogo, num Socrates vobis sapiens, num Cicero laudandus videatur. Quod si sic mecum senseritis, audite illorum verba, ad illorum vigilantiam attendite &c.*

Per comparationem parium, ut: *Id sensit Demosthenes. Demosthenem imitatus est Cicero. Idem Demostheni atq; Isocrati visum utriq; suffragatus est Cicero.* Imparium. *Necfacilè dixeris, plusne in Demosthene copiæ, an in Cicerone acuminis, illius major ubertas, hujus potior ornatus. Ille hottatur, hic cogit: Ille copiosè, hic etiam cultè loquitur.*

Per remotionem causarum: *Quid enim Eloquentiæ studiosum deterreat? an labor? ad hic Ciceronem non terruit. An desidiorum exempla? sed neq; iisdem retardatus est Cicero &c.*

Ex his, nisi fallor, promptum cuiq; erit, quemcunq; figurarum ornatum & mente com-

complecti, & adscribendi dicendiq; usum traducere.

Ut verò expeditos eâ in re discipulos Magister habeat jubeat nonnunquam dimidiæ unius horæ exercitatione simile aliquod exemplum varia figurarum inductione exornare; nunc hac, nunc aliâ Transitionum parte assumptâ. Nonnunquam unam etiam illustriorem figuram ex Tullio propositam, simili in materia imitandô adumbrare. Ita deniq; nihil hac in re arduum, sed prona omnia ad facilem copiosamq; eloquentiæ facultatem experientur. Et quamvis principiò non idoneô semper locô his ornamentis luxuriabunt; ætate tamen judicioq; hunc facilè errorem corrigent: cùm jejunæ atq; inornatæ dictionis ariditatem maturior ratio nunquam secundet.

EX EJUSDEM AUCTORIS

PALÆSTRA STYLI ROMANI.

De Figurarum Varietate.

FIGURARUM *usus maximè & variat & ornat periodum. Hic in verbis I. Ad-*

iectione aut detractione fit, idq; viâ ac ratione diversâ.

Vel repetitione. *Ut ponamus exemplum supra adhibitum! (In eloquentiæ studiò versatus est.)* *Jam à primis adolescentiæ annis omnem ad studia cogitationem, omnem laborem, omnem industriam convertit.*

Vel conversione. *Desideratis hominem rarâ diligentiâ in eloquentiæ studiis versatum? versatus est Cicero.* *Amatis virum ad Reip. defensionem eximia dicendi facultate instructum? instructus est Cicero.* *Vultis eloquentiæ absolutissimam quandam in uno homine imaginem. Talis idem ipse est Cicero.*

Vel complexione. Quis est, qui suâ eloquentiâ Remp. Rom. labefactatam defendit? Cicero. Quis est, qui pestem illam pop. Rom. Catilinam ejecit? Cicero &c.

Vel conduplicatione ejusdem, quod variè fit. Ut dat operam literis, atq; eam dat operam, ut in diligentiâ parem neminem, in eruditione non habeat superiorem.

Li-

Literarum ſtudia (advertite diligentiam hominis) literarum, inquam, ſtudia eâ ſedulitate tractat, ut omnem in his poſitam felicitatem ſuam arbitretur, &c.

Vel traductione. Ita hoc eloquentiæ ſtudium complexus eſt, ut inter ea literarum ſtudia, nihil haberet jucundius ſtudiis.

Immorari his ſtudiis atq; adeò etiam immori voluit.

Amare hæc ſtudia viſus, quamvis non nihil habeant amari.

Vel gravatione. Cicero ſibi inſigni ſtudiô, eloquentiâ gloriam, gloriâ immortalitatem comparavit.

Vel ſynonymia. Eruditionem omnem ſummô ſtudiô cognovit, apprehendit, poſſedit.

Vel polyſyndetô. Et hiſtoriæ, & antiquitatis eloquentiæ operam dedit.

Detractione *per Aſyndeton ſæpe mutatur oratio.* Ut cura, ſtudium, vigiliæ, labor indefeſſus illi ad eloquentiæ poſſeſſionem duces fuére.

II. Per aliquam vocum similitudinem: quod variè fieri poterit:

Vel annominatione. Laudatorem hunc non adulatorem existimes, quisquis illum coràm ab eloquentiæ studiô extulerit.

Vel similiter cadentibus? Si quantum homini inest diligentiæ, tantum & inesset eloquentiæ, concederet nemini:

Multi in hujus ævi doctissimis ad laudandum magis, quàm imitandum Ciceronem nati videntur.

Vel comparari: Non otiosum, sed industrium; non laudandi, sed legendi avidum manet eloquentia.

Hæc Ciceroni non per otium nata, sed per laborem est comparata;

Vel commutatione: Ingeniô artem, arte expolivit ingenium; hoc naturâ, illam industria ipsi contulit;

Vel correctione: Perpetuum ipsi erat cum literis negotium, imò otium dicam; cùm illud negotium sit svavissimum, ac quietis plenum: cura, in quâ minimè cura est. *Nota tamen hanc correctionem, imò Annominationem, potiùs*

ad

ad verborum figuras referri, de qua in Palæst. Orat.

IN SENTENTIIS.

Interrogatione: Quos ille libros non evolvit: quod non tractavit studium? quæ illi dies sine lineâ, quæ nox sine vigiliis elapsa est?

Responsione: Quisquamné est, qui sese & in diligentiâ, & in eloquentia Ciceroni conferre ausit? Equidem neminem tantæ futurum arrogantiæ ac temeritatis existimem. An fortè Hortensius? minimè verò &c.

Anteoccupatione: Literas sibi, quam opes comparare maluit, quanquam opes præstantiores nullô sint, quam eruditio, & nulla major paupertas, quam (quæ animorum est) ignorantia.

Dubitatione: Quam in homine eruditissimô artem ac scientiam maximè admirer ac deprædicem nescio. Illamné scribendi loquendiq; venustatem? an politici juris prudentiam? an rerum humanarum divinarumq; cognitionem? At in his omnibus planè is Cicero est, quem admirari magis, quàm laudare possumus. *Fi-*

Fictâ inductione perſonæ: Etenim ſi ipſa vocem haberet ignorantia, ita loqueretur quid agis, Cicero, tu meis me ſedibus exturbare audeas, &c. Vel ſi ipſa tecum Sapientia loqueretur ore, oculis, voce, ad eam, qua valet, ſvavitatem & gloriam compoſitis. Quid agis, deſidioſe adoleſcens! Annon ad eam vocem ex tuô illô ignaviæ ſomnô evigilares?

Apoſtrophæ: Vos domeſticos Ciceronis parietes, vos appello vigilarum atq; lucubrationum ejus mihi futuros teſtes! Intra vos tam nobiles eloquentiæ fructus concepit ac edidit: vos laboris eruditiſſimi retinetis veſtigia.

Hypotypoſi, ſeu deſcriptione: Multam etiam in noctem libris invigilabat, locô ab omni ſtrepitu remotô, nullô teſte aut arbitrô, fronte, oculis, vultu, omni adeò corporis ſenſu in hunc laborem conſpirante, frons erat ſevera, & meditanti ſimillima &c.

Etopœja, ſeu imitatione morum: Ab aliis ſeſe occupationibus, quantâ potuit celeritate, ſubducebat, piam aliquam ne-

necſſitatem, quâ ſe aliorum conſvetudine liberaret, commentus. Deinde domum magis avolare, quàm pergere, vixq; aliquô domeſticorum ſalutato ad Muſæi ſeſe ſolitudinem propere libros circumſpicere, tractare, evolvere.

Suſtentatione: Jam à ludô literariô ad luſum atq; otium alii, nonnulli etiam ad noxias quorundam ſocietates, ad temulentorum hominum greges, & aleatorum tabernas divertebant. Socium hunc & optabant, & orabant quamplurimi, quibus vaga libertas magis quam laborioſum eloquentiæ ſtudium cordi erat. Quid hic egiſſe cenſetis hominem conſvetudinis humanæ percupidum, & ad gratiam ac jucunditatem natum? an inhiſce temporum ætatis ac ſocietatis blanditiis ab illô ſtudiorum rigore nunquam deflexerit? Erat ſæpenumerò & peropportuna occaſio, & importuna aliorum provocatio: invidebat aëris amœnitas, labor deterrebat. Sed enim divelli à cæptô non poterat &c.

Pre-

Præteritione: Mitto illam antiquitatis memoriam, Philosophiæ cognitionem, legum æquitatisque peritiam, ad illam venio dicendi facultatem, quâ ante alios Cicero valuit.

Distributione. Illi neq; in legendis eruditorum scriptorum scriptis, assiduitas, neque in assequentis eorum præceptionibus facilitas, neque in lectissimis quibusq; scriptoribus imitandis ingenium deerat. Nam & legebat attentè, & expendebat maturè, & reddebat promtè, &c.

Permissione. Vobis igitur permitto, adolescentes, ut statuatis, quid factum optimum, Otioné in primâ ætate diffluere, an literis dare operam, &c.

Vel, Ite nunc socordes animæ, atq; otiô, si lubet, diffluite, contemnite illa studia, quæ adolescentiam ornant, juventutem honorant, alunt senectutem &c.

Rejectione; Quid enim in illis desidioſè versaretur studiis, quæ futura erant commune quoddam bonorum

præ-

præsidium, Reip. fulcrum, ætatis propriæ ornamentum?

Collatione? Cùm in hisce studiis, tanquam amœnô aliquo florum viridariô ageret, nihil illi in labore triste ac horridum poterat offerri.

Antithesi Hinc blanda doctis quies, inde molestæ vigiliæ; hinc mollis otium, inde difficilis labor; hinc amœna æqualium societas, inde aspera musæi solitudo. Omnia hinc ad voluptatem, inde ad horrorem comparata, aut alliciebant, aut abstterrebant. Sed Cicero honestatem delectationi præferebat &c.

Antithesis *conversio.* Multi in molestum otiô negotium; Cicero in hoc negotiô dulce visus est otium occupâsse.

Hæc ad hujus fontis communicandam copiam, non omninô insipiendi palatô sufficerunt, qui sæpiùs etiam hanc periodum inflectere voluerit, consulat, quæ de figuris paulò diserti-us parte alterâ tradituri sumus. Modò

dò hic juvat acquieſcere, & monere, ut ſimili nonnunquam circa rem eandem exercitatione ſequaris, cùm nihil ad eloquendi copiam varietatemque hac poſſit utilius reperiri.

INDEX FORMULARUM ALPHABETICUS.

Abrumpendi Formulæ pag. 303
Adverſarios in odium trahendi 170
Affectus concitandi 290
Attentionem & Benevolentiam captandi 52
Chrias proponendi 26
Concludendi 303
Confirmatio per { *Cauſam* 151 / *Contrarium* 154 / *Similitudinem* 156
Confutandi 163
Connectendi 337
Diviſionis 145

Ex-

Exclamandi 290
Exempla proponendi 102
Exordiendi 1
Chrias 26
Figuras { *inducendi* 337; *variandi* 361; *de Figurarum varietate* 361
Insinuandi 52
Interponendi 290
Interrogandi 290
Liberè dicendi 135
Objiciendi 156
Partitionis 145
Præoccupandi 181
Proponendi { *Exempla* 182; *ex Valer. Max.* 240; *Testimonia* 246; *Similia* 275; *Chrias* 26
Propositionis 139
Redeundi ad rem 138
Respondendi 181
post Sententiam habenda 262
Similia proponendi 275
Testimonia proponendi 246
Thematis sensum exponendi 139

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0385

Trahendi adversarios in contemtum & odium 170

Transeundi
- *ab unâ in aliam opinionem* 149
- *ad diversa membra partium* 345
- *ad diversas rationes & argumenta* 349
- *ad Propositionem seu narrationem* 139
- *ad divisionem seu partitionem* 145
- *ad Confirmationem per causam* 151
- *per contrariam* 154
- *per similitudinem* 155

FINIS.

(o)



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0392

ALVENSLEBEN
Cc
372

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415(1222-150789793-13/fragment/page=0393



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0394



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0396

Ivar Pedersen Adolphus



MEDULLA ORATORIA,

Continens omnium

TRANSITIONUM FORMULAS,

quibus ornari possit

ORATIO RHETORICA,

IN GRATIAM STUDIOSORUM ELOQVENTIÆ, EX VARIIS ORATORIBUS COLLECTA

AB

IVARO PETR - ADOLPHO,

NORVEGO,

Editio novissima, accessione aliarum formularum & figurarum, ex aliis Auctoribus selectarum, aucta,

Cum Indice Formularum.

DRESDÆ,

Sumptibus JOH. JACOBI WINCKLERI,

Anno 1702.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-119201541511222-150789793-13/fragment/page=0397